

DOMINI de NUYSEMENT

TRACTATUS

DE VERO

PHILOSOPHORUM

SALE SECRETO

ET DE

UNIVERSALI

MUNDI SPIRITU,

IN SUPPLEMENTUM DIU DESIDERATI

COSMOPOLITÆ,

SEU,

UT VULGO CREDITUR,

MICHAELIS SENDIVOGII,

POLONI,

PRINCIPII TERTII

DE SALE PROMISSI,

GALLICE PRIMUM SCRIPTUS,

DEINDE

LATIO RESTITUTUS,

NUNC OB UTILITATEM SUAM

ALTERA VICE EDITUS

A QUODAM


CURIOSO CHYMIÆ INDAGATORE.

FRANCOFURTI,

ANNO M DCC XVI.

VIRO
NOBILISSIMO. EXPERIENTISSIMO.
ILLVSTRISSIMO.
DOMINO
IOANNI. DRECHSELIO,
MEDICINÆ. DOCTORI. ET.
PRACTICO. LIPSIÆ.
LONGE. CELEBERRIMO.
PATRONO. SUO.
PATRIS. INSTAR.
ÆTERNUM. DEVENERANDO.
LIBELLUM. HUNCCE.
IN.
MONUMENTUM. PIETATIS.
AC.
OBSERVANTIÆ. SUÆ.
EA. QUA. PAR. EST.
SUBMISSIONE.
D. D. D.

EDITOR.



LECTORI BENEVOLO CHYMIOPHILO.

S. P.



I quidam mortalium transmutationis Metallorum veritatem & possibilitatem æque ac summam Chymiæ in medicina utilitatem in dubium vocarent, aut plane negarent, criminis læsæ Majestatis Creatoris divini veritate accussari possent. Examinentur modo tam multa Scripturæ sacræ documenta, & confrontentur cum testimoniis virorum, qui unquam vitam egerunt aut adhuc agunt, celeberrimorum, malitiositas eorundem

rundem quam pertinacissima sole clarior elucescet.

Aquam perderem, si positionem hancce meam exemplis, quæ varia multaque videntur, illustrarem, sufficiet modo recommendatio sola libri illius egregie ac maxime æstimandi ab illustrissimo *Ehrdio de Naxagoras*, *Equite Johann.* germanice sub titulo: *Sancta Hermetica veritas*, *seu Concordantia Philosophorum*, *consistens in Sale & Sole*, *Mercurio & Sulphure*, f. Sonnen-klare Wahrheit der *Philosophen* Schrifften/ *in 8vo Vratislaveæ 1712.* editi.

Iste divinæ & Hermeticæ artis adeptus in illo comparationem harmonicam inter scriptores Chymiæ nov-antiquos instituit, insimul significat, ex quibus sapienti-

am suam perceperit, nullum in alium finem, quam ut unanimem consensum veritatis hujusce, & uniformitatem variorum procedendi modorum demonstret; tametsi labor suus ad priorem magis quam posteriorem articulum respiciat, siquidem ad istum in alio tractatu *Alchymia denudata*, seu, dem nie geglaubten an ietzo beglaubten Wunder der Natur &c. *in 8vo* iterum *Vratislaviæ 1708.* impressi, aliisque scriptis sufficientem & cordatam dat manuductionem.

Quotidie etiam plura aperta de eo expectamus in hac materia scripta, nam Artis Filii de sinceritate sua satis sunt persvasi, vereor saltem, ne Illum invidia & persecutio indefessa frivolorum quorundam hominum clandestina & publica,

cujus varia brevi tempore publicata sunt monumenta, eo perstringant, ut nihil amplius temporis successu in lucem proferat.

In aprico est, quod multi de scientia artis perfectissima glorientur, tametsi nondum primorum plane capaces sint principiorum; multa allegare possem exempla, si personalia tractare, aut tempore abuti liceret. Veritatem premunt, sed, quod solatio est, supprimere non possunt. Toto die, omnibusque in rebus aberrant, aberrent etiam, optandum modo esset, ut errores suos pro veritatibus aliis obtrudere desinant.

Ne igitur Filii artis adhuc incipientes a falsis illis impostoribus decipiantur, aut a semita abducantur, sed ut e contrario de veris Chymiæ principiis informationem habeant,

beant, non inutile judicavi, si opusculum hocce summa laudatione dignum & adhuc perrarum oblivioni eriperem, & a multis, quæ priori irrepserunt editioni, mendis purgatum de novo illis communicem.

Paterfamilias, domum sibi ædificari curans, operam maximam impendit, ut ista non solum juxta regulas architecturæ erigatur, sed etiam, quod maxime necessaria res, fundamentum solidum illi substruatur, nam illo carente, non durabilis ista esse potest: Ita etiam indagatores Chymiæ incipientes oportet, ut, priusquam progrediantur, *Demogorgonis*, *seu Spiritus mundi & Salis Philosophorum* originis ac transmutationis cognitionem summam accipiant, alias profectus altiores facere

re

re plane incapaces erunt. Hac de re libellus hicce solide informat.

Autor ejus est Dominus *de Nuysement*, natione Gallus, &, dum viveret, officio Quæstoris generalis Comitatus Ligniensis in Ducatu Barrensi functus, vir in tractandis naturæ principiis apertissimus æque ac doctissimus.

Versionem Originalis gallici Parisiis 1648. impressi latinam debemus Domino Ludovico Combachio, Medicinæ Doctori, Practico Cassellano & illustrissimorum Hassiæ Principum Archiatro, viro in edendis variis veram Philosophiam tractantibus scriptis superiore seculo clarissimo.

Utpote intra aliquorum annorum intervallum, cum vitam ageret, varios autores typis summa cum diligentia excudi curavit.

Præter alios ſunt: *Autoris incerti liber de principiis naturæ & artis chemicæ; Joannis Belye, & Bernardi Comitis Trevirenſis libelli chymici; Fratris Ferrarii tractatus de lapide Philoſophorum; Joannis Dauſtenii roſarium theoretico-practicum; Georgii Riplæi opera omnia; & Chriſtophori Pariſienſis, ſcriptoris antiqui, Elucidarium,* quem germanico idiomate communicavit.

Soliditati, deinde itaque utilitati libellus ipſe plurimum reſpondet, ideoque inneceſſarium exiſtimo, laudibus illum amplius extollere; proverbium alias uſitatiſſimum:

Vino vendibili
Non opus eſt ſuſpenſa hedera;

juſte huc applicari poteſt.

Lege ſolummodo illum, Lector Chymiophile, & iterum perlege, fructus

fructus ſucceſſu temporis inde venientes largiſſimos colliges.

Videbis, quantum Tibi propugnaculum adverſus omnes ſeductores erit, & quam brevem viam ad veram Philoſophiam TIBI ſtrabit.

Deus T. O. M. autem clementia ſua Te beet, Tibi auxilio ſit, veramque det ſapientiam, ut cognoſcas, quod Tibi ſit utile aut damnoſum.

Fruere interea libro feliciter, & brevi temporis intervallo alios rariores artis Philoſophicæ ſcriptores a me expectans vale faveque.

Gratia Domini noſtri JESU Chriſti nobiſcum ſit, maneatque omnibus, Amen. Dabam Noribergæ Calend. Januarii MDCCXVI.



PRÆFATIO AUTORIS.


NOn dubito equidem fore, ut liber hic in lucem publicam emissus a plurimis rejiciatur, & a paucis grato animo suscipiatur. Humana enim ingenia, quia ignorantiæ nebulis plerunque sunt obfuscata, & cæcutientium multitudo viros oculatos clareque videntes longe superat, profundiores etiam scientiæ cognitione non admodum dignæ visæ sunt, sed pudenda sæpe hominum negligentia, aut lucri quoque cupiditate, utile honesto semper præferente, contemptæ potius jacuerunt; ut hac ratione stulti, ad possidendum sese magis natos esse credentes quam ad sciendum, totos lucelli alicujus capturæ se dedant, & a brutis animalibus bestiisque, alimentationi suæ tantum incumbentibus, parum admodum differant. Quod si tamen divino illo cognitionis & intellectus radio illuminati conditionem suam altius paulo ruminarent, observare procul dubio facile possent, alimentum

ad

ad vitæ ſuſtentationem ipſis conceſſum eſſe, vitam autem ad veritatis inveſtigationem, cujus nempe ſolius reſpectu rationali anima præditi ſunt. Quod igitur verear eandem cauſam, quæ hujuſcemodi homines a generoſo & nativo ortus ſui ſcopo abſtrahit, labori quoque meo contemptum allaturam, præſertim ſi veſtigia quædam artis Chymicæ hic obſervabunt, (quam tamen hoc opuſculo tractandam mihi non deſumpſi,) & quia dilucidare ea auſus ſum, quæ ter maximus *Hermes* occulte adeo in ſua tabula ſmaragdina tradidit, ut multa excellentiſſima ingenia verum illius ſenſum eruere non potuerint, volui viros curioſos in hac præfatione admonere, ne vellus aureum aut Heſperidum poma in hoc libro quærant, ſed genuinam tantum primorum naturæ principiorum deſcriptionem expectent, in quorum tamen ditiſſimo ſinu omnes mundani theſauri jacent abſconditi, theſauri profecto inæſtimabiles, & longiſſime ea omnia ſuperantes, quæ vulgus maxime admiratur & pene adorat. Si tamen fortaſſe quidam a rebus Chemicis abhorrentes librum hunc rejicient, vel palato ſuo ineptum puta-

putabunt, equidem nec ego, nec illi vituperium incurremus, cum appetitus diversus sit, & eorum palatum popularis erroris fæcibus imputum sit, quæ eos impediunt, ut exquisitissimis hisce epulis saturare sese nequeant; cum vice versa amœnioris ingenii hominibus delitiæ hæ sint svavissimæ, qui libenter confitebuntur, neminem docti & Sapientis viri nomen aut titulum obtinere posse, nisi sit Chemista, quia nec principia naturalia, nec vera universalis materia, cuipiam unquam innotescent, nisi per artis Chemicæ experientiam. Quod equidem Philosophorum ille pater *Hermes* clare declaravit. Nam præterquam quod monstret, per quid, quomodo, & a quo primum rerum subjectum, h. e. Spiritus generalis mundi, productum sit, quo medio corporeum fiat, & in diversas formas & genera specificetur, & quomodo ex illo tam superiora quam inferiora producantur, perficiantur, sustententur & augmententur, aperit etiam sapientibus viam, ut per considerationem profundam effectuum secretorum naturæ ad investigationem & inventionem mediorum, quibus, ignis adjutorio, ad perfectam hu-
jus

jus Spiritus, omnibus corporibus infusi, mundificationem, seu potius extractionem essentiæ purissimæ, ad productionem incredibilium effectuum aptissimæ, & proinde in effectu æque atque in numero infinitæ pervenire possint. Quod quidem hic eum in finem non profero, ut studiosos ad approbationem meæ opinionis allicere aut cogere velim, licet nec ea temere rejicienda videatur, sed ut observent, an cum ratione probabili, antiquorum autoritate suffulta, loquar. Veruntamen hæc eos tantum concernunt, qui a vulgo separati veræ Philosophiæ gustum quempiam adepti sunt, quibus etiam horum laborum judicium committo, & fructus, inde provenientes, copiosos, largissimos & felicissimos illis esse jubeo.




INDEX

INDEX
TITULORUM CAPITUM
LIBRI PRIMI.

LIBRI SECUNDI.

LIBRI TERTII.





TRACTATVS DE VERO PHILOSOPHORVM SALE SECRETO ET DE MVNDI SPIRITU UNIVERSALI

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Quod mundus vivat, & vita plenus ſit.



Um mihi propoſuerim de Spiritu mundi aliquid commentari, opus eſt, ut prius demonſtrem, Mundum hunc vita & anima plenum eſſe. Præterquam enim quod natura nihil ſpirituoſum reddat, quod ſimul non vivificet, mundus quoque in continuis & non quieſcentibus formarum alterationibus conſiſtat, quæ ſine motu vitali fieri non poſſunt, videmus tamen, hanc eandem naturam, inſtar fœcundæ & ſolicitæ matris, etiam hunc mundum complecti & nutrire, diſtribuendo unicuique membro ſufficientem vitæ portionem,

ita ut in Universo hoc nihil occurrat, quod anima sua informare illa non quærat, cum otiosa nunquam sit, sed semper actioni suæ intenta maneat, quæ vivificatio est. Vastum igitur hoc corpus motu præditum est, eoque perpetuo agitatur, qui motus sine spiritu vitali plane fieri non potest. Quicquid enim vita caret, immobile est necessario; non loquor de motu violento, qui de loco ad locum fit, sed de eo, qui se habet instar privationis ad formam, aut, ut clarius dicam, instar imperfectionis ad perfectionem. Plantarum vegetatio & lapidum concretio promoventur motu, qui fit per infusionem hujus animæ agitantis magnam hanc molem aut massam, mediante spiritu quodam radicali & nutriente, cujus origo & minera, tanquam causa quædam prima procreatrix & avia omnium rerum, in centro terræ residet, ut inde velut ex corde omnes functiones vitales prodeant, & per totum corpus sese extendant. Hæc autem radix antiqui *Demogorgonis*, progenitoris universalis, sinu includitur, quem prisci Poëtæ, diligentissimi secretorum naturalium inquisitores, viridi chlamyde, ferruginosa rubigine obducta, & tenebris obscuris tecta, indutum, omniaque animalium genera nutrientem, ingeniose depictum exhibuerunt, in cujus ventrem cœlestium globorum virtutes continue descendunt, terræ ilia penetrantes & eam omniformi specierum sorte imprægnantes; ubi pariter qualitates & fortitudines elemen-

elementares antiquo huic Patri servitia offerunt, tanquam productori & specificatori omnium rerum, continue dispensatione formarum specificarum mediante *Iliasto*, (a) & in excitatione vitalis caloris per suum *Archeum* occupato. Qui quidem *Iliastus* & *Archeus* formationis, conservationis & augmentationis omnium rerum duo quasi instrumenta sunt.

Hic igitur *Demogorgon* ille est, per quem quasi per suum instrumentum Deus omnia produxit, quæ sunt in & sub cœlis, ita ut mirabili quadam adaptatione, vulgaribus Philosophis incognita & ab iis occultis causis attributa, ille *Demogorgon*, *Iliastum* & *Archeum* suum in se continens, omnia formet & generet, postea etiam nutriat, atque generata conservet, & eatenus officio boni œconomi aut dispensatoris fungatur, promum condum aliquem in imis terræ visceribus constituendo, unde postea ad superficiem depromere, & productis vitam vigoremque communicare possit. Terra igitur, tanquam receptaculum influentiarum & virtutum superiorum, in sese fontem hujus vitalis animæ continet, ex cujus rivulis beneficium vitæ in animalia, mineralia & vegetabilia deri-

(a) *Notatur, per Iliastum intelligi provisorem generalem, qui materiam ad generationem suppeditat. Archeus autem est ignis sive calor naturalis, qui digerit materiam & in illam agit.*

derivat, qui illis etiam ſenſum, eſſentiam & vegetationem communicat, prout materiam obedientem, & ad motum diſpoſitam invenit. Hinc accidit, quod animalia, ex maſſa magis ductili & ad motum aptiore compoſita, ſentiunt & vegetantur, eaque de cauſa ſimile ſibi facile generant, quia nempe vita ſenſitiva & vegetativa prædita ſunt. Plantæ autem & omnes res germinantes, quarum ſpiritus materia craſſiuſcula & duriuſcula non cohibetur, creſcunt & multiplicantur vita tantum vegetativa, & ſimile ſibi per ſemen & plantationem ejus generant, non tamen more animalium. Mineralia nec ſenſitivam nec vegetativam facultatem obtinent, ſed vita tantum eſſentiali vivunt, quia compoſitio eorum durior eſt, quam animalis & vegetativa, materia etiam illorum craſſior & magis groſſa, quæ vivificantem ſpiritum nimis conſtringit & captivum detinet, ut ſimile ſibi producere nequeat, niſi prius a groſſa impuritate repurgetur, & in primæ materiæ ſubtilitatem reducatur. Videamus quid hac de re dicat *Aurelius Augurellus*, Latinus Poëta & Philoſophus excellentiſſimus, *lib. 1. Chryſop.*

Hæc inter variant, quæ nec primordia rerum
Extant, quæque frui vitali ſorte negantur,
Vt media quæcunque ſedent tellure metalla,
Quique latent miro grati fulgore lapilli.
Nullo namque genus ſobolemve augere putantur

Semine,

Semine, sed cunctos ævi torpore per annos.
Verum hæc ipsa etiam secreto vivere, quivis
Sentiat, & vitæ divino munere fungi:
Hæc & oriri eadem si contemplabitur, & si
Augeri ex sese penitusque increscere cernet,
Vt mox e variis patefactis nosse licebit.
Quod si non sobolem educunt non cætera vertunt
In semet, causa est, quod multa spiritus illic
Materie abstrusus, vitam qui porrigit omnem,
Explicat ægre ex se vires, ni vivida promat
Has hominum virtus densa sub mole latentes.

Tunc igitur, quia non amplius impura & grossa mineralia existunt, per formam specificam illis introductam generabunt non quidem sibi simile, sed in sibi similibus alterationem & perfectionem talem, qualis tantopere desiderato Elixiri philosophico tribuitur; cujus divinas virtutes adeo admirantur sapientes, stulti vero contemnunt, quia propter oculos fascinatos ad centrum hujus mirabilitatis penetrare nequeunt.

Si igitur animalia, mineralia & vegetabilia, majorem partem visibilis hujus mundi constituentia, plena sunt vita, quænam ratio credere nos cogat, ut statuamus, totum partibus suis magis esse mancum? Atque hoc in rebus sublunaribus vero similius apparebit: Si enim globi cœlestes vitam corporibus inferioribus suppeditant, necessarium certe erit, ut hanc prius ab anima ista universali receperint,

 quia

quia nemo dare potest, quod non habet; audiatur ea de re prænominatus *Augurellus*:

Hoc etenim quicquid diffunditur undique cœli,
Aëraque & terras & lati marmoris æquor
Intus agi referunt anima, qua vivere mundi
Cuncta putant, ipsumque hac mundum ducere vitam.

Ast vero motus, (naturalem intelligo,) vitam semper habet comitem; quomodo igitur in alio vitam & motum producet, quod in se nec motum nec vitam habet? Motus nunquam deserit illud, quod vitæ particeps est, atque illud, quod semper aut movet aut movetur, vita carere, non est æstimandum. Anima universi sponte seipsam movens est fons & origo omnis corporalis motus, cum ordinarie corpus comitetur, unde fit, ut subtilissima pars hujus animæ mundi, utpote summa petens & in summis habitans, rotatione continua cum globis cœlestibus vertatur, quas motu proprio & continuo orbiculariter circumducit: & ob hanc rationem omnes res superiores sunt magis vitales, perfectæ & immortalitatis participes quam aliæ inferiores: quia oportet ut id, quod vita præditum est indeficiente, necessario motu in seipsum redeunte sive circulari moveatur. Inde etiam sequitur, illud, quod sine fine movetur, vita perpetua & indeterminata dotatum esse; atque ita ex his rationibus apparet, mundum universalem vita universa-

versaliter plenum esse, ita etiam, ut singularum specierum individuarum vita aliud nihil sit, quam vita participans ex hac generali mundi vita, quæ sola vere dici potest animal, in cujus corporalibus elementis inclusa sunt semina occulta omnium rerum visibilium & corporalium. Videmus enim plurima corpora sine seminibus præcedentibus nasci, qualia sunt plantæ quædam, imo etiam sine conjunctione masculi & fœminæ, ut sunt quædam animalia ex corruptione prognata. Plantarum semina visibilia sunt in granis, & animalium in genitura. Metalla similiter suum habent semen, sed hoc videri non potest nisi a veris Philosophis, qui illud ex subjecto suo proprio magna industria extrahere norunt; quanquam illud etiam facilius ratione concipi, quam corporeis oculis videri possit. Et nisi occulte elementis inesset virtus quædam secreta procreatrix, in qua facultas generandi potentialiter lateret, multæ sane herbæ non germinarent ex terra, & multo minus ex muris altioribus, quo nunquam semen aliquod avolare aut plantari potuit, cujus cognitio non præcesserit. Nec etiam tanta animalium diversitas in terra generaretur, vel in aqua, sine præcedente sexuum copulatione, quæ tamen crescunt, & postea per commixtionem masculi & fœminæ simile sibi, etiam ad specierum perpetuationem, producunt, quamvis ex simili parentum commixtione generatæ non sint.

sint. Id ipsum satis probatur ex generatione anguillarum ex limo prodeuntium, & muscarum aliarumque bestiolarum ex animalium excrementis prognatarum. Qua etiam vita dicentur ostreæ vivere, & spongiæ marinæ, & multæ res aquaticæ, quæ plantanimalium nomen magis merentur, quam piscium; verum hæc corpora non tam vivunt vita sibi proprie particulari, quam universali illa, quæ generalis & omnibus communis est: qualis etiam inter terrenas res magis vigorosa apparet in corporibus subtilioribus, ut quæ sint mundi animæ universali proximiora, quam in grossioribus, & ab illa magis remotis.

Mundus igitur, per illum, qui ipsa bonitas est, totus bonus creatus, non solum corporalis est, sed etiam de intelligentia participat, (plenis enim est ideis omniformibus,) &, ut antea dixi, nec membra nec partes habet, quæ non sint vitales. Et hanc ob causam Sapientes illum dixerunt animal esse per omnia masculinum & fœmininum, eumque mutuo amore cum suis partibus sese conjungere, ut monstrent, quantopere matrimonium & alligamentum cum suis partibus desideret. Hinc etiam per translationem quandam diversitas sexus in plantis & animalibus provenit, quæ ad imitationem mundi congrediuntur, & simile sibi generant, non aliter ac mundus ipse, qui de se aliorum parvorum mundorum infinitatem producit. Quod enim in mundo cor-

pora

ora generantur, tot etiam sunt microcosmi, quia nempe nullum est corpus, in quo partes, virtutes & qualitates parvi alicujus mundi non sint distincte notabiles, ita ut simile semper inclinetur ad producendum suum simile per adaptationem actionis & passionis, quod tamen fieri non posset, si omnia vita non essent plena. Quæ enim generatio procedere posset a subjecto mortuo? cum probabile non sit, imo nec possibile etiam, ut id, quod vita caret, aliis vitam possit communicare. Videmus quidem interdum sine congressu maris & fœminæ, imo sine uno & altero, plures res generari, quibus per naturalem fomentationem ex vita universali vita infusa est, quemadmodum multi artificio quodam ova & pullos absque gallinæ incubatione excludunt. Alii autem certas materias quasdam præparant, easque putrefaciunt, unde mirabilia nascuntur animalia, sicut Basiliscus ex ovo galli, aut ex fœminæ rubicundæ menstruis, Scorpiones ex ocimo herba, apes ex visceribus bovis, anatis certa species ex foliis arboris cujusdam in mare decidentibus, (a) & hujusmodi aliæ res nobis & mundo nostro incognitæ, quæ magis admirationem quam fidem fere merentur, quod præter consvetum naturæ cursum fiant, attrahendo certis quibusdam materiis vitam ex vita universali, in certis temporibus & locis. Usque adeo mundus prægnante vivacitate scatet, & semper circa vitales actiones occupa-

 tur,

tur, adeo etiam, ut nihil in illo moriatur aut intereat, sed potius & prius quam sine actione & consequenter sine vita sit, indesinenter ex una re aliam reficiat, atque hac ratione nullum detur corpus, quod totaliter annihiletur & pereat. Si enim ita res sese haberet, omnes mundi partes una post aliam & sensim evanescerent coram oculis nostris; maxime post tot secula & mutationes, ut mirum videri posset, in natura aliquas adhuc rerum reliquias superesse. Nec abludit quispiam *poëta Gallus* in hac secreta Philosophia egregie versatus, amicam suam hisce verbis allocutus:

Votre aspect inégal, qui ma fortune change,
Est comme le Soleil, contraire en ses effets,
Qui amollit la cire, & endurcit la fange
Et fait des corps nouveaux de ceux, qu'il défaits.

Qui rythmi Latine ita reddi possunt:

Vester inæqualis vultus, mea tota resultat
Unde salus, cunctas aut sors mutatur in horas,
Solis habet genium, puncto qui temporis uno,
Diversos parit effectus, virtute caloris
Cum fundit ceras, & eodem luminis actu
Molle lutum in duras cogit concrescere glebas,
Cumque ex corruptis iterum nova corpora gignit.

(a) *Videtur autor noster vulgarem opinionem fovere de generatione anatum borealium, quas Scoti Clakis, Claiks sive Claikgees, Anglo-Britanni autem Bernacles vocant, & ex arboris cujusdam maritimæ nucamentis in mare decidentibus, aut ex conchis, putridis*

tridis navium asseribus connatis, generari, multi autores asserunt. Cujus rei doctissimus quoque Lobelius meminit in advers. stirpium p. 456. ubi primo assentiri & postea dubitare videtur, ultimo autem hanc vulgi sententiam merito clarissimum Fabium Columnam refutasse scribit. Figuram hujus anatis aut anseris, ut & arboris & concharum expressit Compilator Iconum stirpium Lobelii parte secunda p. 259. Pauca etiam verba de hoc anatum genere facit Olaus Magnus l. 19. historiæ Septentr. c. 9. Vera tamen harum avium generatio nunc patere creditur ex Caroli Clusii auctario exoticorum p. 368. qui nautas Batavos Novam Zemblam petentes ad fretum Waygatz hujusmodi anates ovis suis incubantes observasse dicit, quæ verba ex eodem Clusio Fabius Columna repetit l. 2. stirpium minus cognit. p. 92. Vlysses Aldrovandus l. 19. Ornitholog. c. 23. sub finem mediam sententiam amplectitur, ubi dicit, se cum pluribus errare, quam tot clarissimis scriptoribus, (generationem ex conchis asserentibus) oblatrare velle, & posse hæc animalia ex putredine nasci, & postea per coitum & ovorum incubatum multiplicari, exemplo murium & aliarum bestiolarum. Nec inepte ad hunc locum referri posset generatio erucarum ex plantis, tam naturalis quam artificialis, quæ non nisi ex herba, unde prognatæ sunt, aut ex specie congenere vivunt, donec adolescant, ut Chrysalis & tandem Papilio inde prodeat, suam deinde speciem per coitum multiplicans. Cujus generis unum ipse Romæ vidi apud Dn. Henricum Corvinum, Batavum, insignem Pharmacopæum & Botanicum a prædicto Dno. Fabio Columna,

lumnæ, uti relatum nobis fuit, ex cupressi foliis per putrefactionem productum, elegantem admodum, magnum, & alas minimi digiti longitudine, totasque quasi oculatas habentem. Præstat tamen ea de re dicti nobilissimi Domini Fabii Columnæ observationem erucæ rutaceæ, ejusque chrysalidis & papilionis, parte 2. stirpium minus cognitarum. p. 85. legere.

CAPUT II.

Quod mundus, quia vivit, habeat spiritum, animam & corpus.

CORpus mundi optime sensibus dignoscitur, sed in illo latet spiritus occultus, & in hoc spiritu anima, quæ cum corpore, nisi mediante hoc spiritu, uniri non potest. Corpus enim crassum est, & anima subtilissima, à corporeis qualitatibus longissime distans. Ad hanc igitur unionem efficiendam tertio aliquo opus est, cum amborum naturis conveniente, quod sit quasi spiritus corporeus, quia extrema non possunt associari, nisi per ligamentum aliquod medium, affinitatem cum utroque habens, ut cum utriusque natura convenire possit. Cœlum altissimum est, terra humillima; illud purum est, hæc corrupta: quomodo igitur exaltare hanc, & turpem istam corruptionem cum agili illa puritate conjungere quispiam possit sine medio cum ambobus participante? Deus

Deus ſumme & infinite purus & mundus eſt, homines extreme impuri & peccatis inquinati; horum unitio & reconciliatio cum DEO fieri nunquam poterat ſine Jeſu Chriſti, Domini noſtri intermediatione, qui cum vere ſit Deus & homo, verus extitit hic magnes ferruminator. Similiter in machina mundi univerſi ſpiritus ille corporeus, aut corpus ſpirituale ſeſe inſtar agentis communis aut calcis alicujus habet in conjunctione animæ cum corpore. Quæ anima in ſpiritu & corpore mundi eſt quaſi ineſcamentum aliquod aut ferrumen intelligentiæ divinæ. Hæc enim intelligentia divina per elevationes effectivas, renovationes, mutationes, variationes & multiplicationes formarum clariſſime intelligitur, quæ aliunde proficiſci non poſſunt, quam de intelligentia divina, & non de materia, quæ ex ſeſe bruta eſt, & nullam naturam intelligentem ad rerum formationem & ſpecificationem cauſare poteſt. Mundus igitur hoc ſpiritu nutritur, & per animam, ipſi eodem hoc ſpiritu mediante infuſam, agitatur; id quod *Virgilius*, ſecutus doctrinam *Platonis*, eleganter his ſuis verſibus expreſſit. *libro 6. Æneid.*

Principio cælum ac terras, campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Ad

Ad cujus imitationem *Augurellus libro 1.* ita canit:

Ast animæ quoniam nil non est corporis expers,
Mundus at & mundi partes quoque corpore constant,
Spiritus hæc intermedius fit, quem neque corpus
Aut animam dicas, sed eum, qui solus utroque
Participans in idem simul hæc extrema reducat.
Hic igitur maria ac terras, atque aëra & ignem
Vivereque, augerique atque in se cuncta referre,
Semper aves semper stirpes animantia semper
Gignere, perpetuamq; sequi per secula prolem, &c.

CAPUT III.

Quod omnia essentiam & vitam habentia facta sint per spiritum mundi; & de prima materia.

RES omnes nutriuntur ex eo, unde prodierunt, & plane animadvertitur omne, quicquid est, respirare, vivere, crescere & nutriri per hunc spiritum mundo insitum, atque hoc deficiente resolvi & mori. Omne igitur, quicquid subsistit, ex eo factum esse sequitur. Atque hic nihil aliud est, quam simplex & subtilis essentia, quam Philosophi, quia a corpore, tanquam a materia crassa & grossa, sive a quatuor elementorum superfluitatibus separari potest, quintam

uintam essentiam appellant, & tunc opera-ones habet mirabiles. Ea vero per omnes iundi partes diffusa est, atque per illam ani-æ virtus dilatatur & vigoratur; quæ quidem irtus maxime communicata est corporibus, quæ de illo spiritu plus attraxerunt & partici-pant, infusa nimirum & ex superioribus missa, nempe a Sole, qui veracissime ma-eriæ qualitatem in essentia producit; ita ut piritus ille, actione Solis calefactus, magnam itæ abundantiam acquirat, multiplicans & vivificans omnium rerum semina, quæ cre-scunt, & ad magnitudinem usque determina-tam augmentantur, secundum speciem & for-mam uniuscujusque rei. Quam ob causam vere de iis *Virgilii* illud dici potest:

Igneus est illis vigor & cœlestis origo.

Hic igitur spiritus, (a Philosophis Mercurius appellatus,) quia multiformis, imo omnifor-mis est, producens omnia corpora, uni rei vi-tam largitur mundiorem & magis incorrupti-bilem, alteri autem debiliorem & corruptioni interituique magis subjectam, secundum ma-teriæ prædispositionem. Qua ratione vigor ille igneus, ex radiis solaribus proveniens, non æqualiter idem est in omnibus subje-ctis, sed diversificatur, secundum quod semi-nibus magis vel minus inest. Omnes igitur materiæ purioris prædispositionis spiritum & vitam habent magis durabilem & incorrupti-bilem. Cum enim quælibet res libenter de-

lectetur

delectetur suo simili, conveniens est, ut hic cœlestis calor, purissimus existens, intret & penetret in corpora eo profundius, quo puriora sunt, eaque durabiliora, magis vitalia & incorruptibilia reddat. In cujus rei fidem & comprobationem aurum desumi potest, quod cum purius & mundius sit omnibus aliis terrenis corporibus, plus etiam de hoc calore & igne cœlesti participat, qui, terram penetrans, in mineris invenit materiam auri prædispositam, (nempe ejus Mercurium & sulphur, quæ Esdras terram nominat,) juxta potentiam actionis & diligentiæ Naturæ, per depurationem & separationem omnis inquinationis & fecum terrestrium adustibilium præparatam. Quæ quidem materia in principio est sperma quoddam, aut aqua cum pulvere *illo*, aut sulphure purissimo commixta, quæ pedetentim, adjuta virtute propria coagulativa, inspissatur, & longa actione continui caloris indurescit, ita, ut tandem ad suam perfectionem perveniat, quæ in natura simplex est & colore igneo tincta; verissime enim calor tincturarum mater est. Si igitur, calorem illum a Sole provenire, certum est, ut profecto certum & indubitatum esse debet, quis veritati & rationi ita contrarius sit, ut Solem omnis perfectionis autorem & parentem esse negare velit? Mentem igitur paulo altius erigamus, &, qua ratione hoc fieri possit, curiose inquiramus.

CAPUT IV.

CAPUT IV.

Quomodo Sol per Hermetem dictus sit Pater spiritus mundi, & materiæ universalis.

VErum, dicet aliquis, si omnes res ex una eademque materia proveniunt, quomodo Sol potest esse materiæ parens, cum ipse ex eadem sit creatus? Ut respondeam ad hanc quæstionem, intelligere oportet, quod si consideretur primæva præjacens omnium rerum materia, invisibilis illa invenietur, & non nisi per vivam & profundissimam imaginationem comprehendi poterit: ex cujus Sole & igne vitali naturaliter ei insito Sol cœlestis lumine & pari vigore igneo prodiit atque elevatus est, qui postea internum hunc & essentialem calorem, naturali calore comitatum, erogando quasi, ignis sui radios super totum orbem spargit, superius quidem astra illuminando, inferius autem omnes res vivificando. Quia vero terra instar communis matricis omnium rerum sese habet, in illam tanquam in receptaculum omnium influentiarum Sol principaliter agit, in cujus sinu cunctarum rerum semina abscondita sunt, quæ radiorum Solarium calore agitata & commota in lucem prodeunt. Qua de causa hyemis tempore, quando Sol longius a nobis abest, videmus, quod

terra radiorum perpendicularium privatione nimis refrigerata, & ſufficiente calore deſtituta, ſterilis jaceat, & nihil producat; verno autem tempore, cum Sol ordinario ſuo curſu ad nos & ſuper clima noſtrum revertitur, tunc illa vitam & vigorem tanquam a mortuis reſuſcitata recipit. Hujus mutationis unica cauſa eſt ſpiritus ille univerſalis, anima & vita plenus, in terra principaliter habitans, qui, antequam generare quidpiam poſſit, neceſſario in corpore aliquo habitare & commorari debet, nempe in terra, quæ eſt tanquam corpus corporum. Et quia omnes res ex eo, unde factæ ſunt, nutriuntur & ſuſtentantur, ſingularis inter ſpiritum hunc & Solem intercedit amicitia & harmonia; atque ea de cauſa antiqui Sapientes non absque ratione dixerunt, Solem verno tempore parentem ſuum ſenio aggravatum, & ex hyberno frigore admodum debilem & pene emortuum calefacere & vivificare. Quia igitur per Solem fortificatur & vivificatur, non ſine ratione cum Hermete dicimus, quod pater ejus ſit Sol, ſine quo alioquin ſterilis eſſet, & neque creſcere, neque multiplicari poſſet; idque tanto magis, quia calor ab aſtris influens a Sole provenit, & terram imprægnat, quæ poſtquam concepit, generat, extendit & multiplicat hanc materiam ſpirituoſam, perducens illam ab incorporalitate ad corporalitatem.

Hortulanus Philoſophus, qui in *tabulam Hermetis*

metis commentaria scripsit, radicalia naturæ principia reliquit, & a particularibus principiis Alchemiæ statim sermonem suum exorsus, per *Solem aurum Philosophicum* intelligit, quod *Lapidis parentem*, & quidem vere nominat. In hac enim arte versati per experientiam sciunt, & ex omnibus bonis autoribus, (quorum numerus infinitus est,) didicerunt in vera materia & lapidis subjecto aurum & argentum esse in potentia, & argentum vivum in natura. Quod quidem aurum & argentum meliora sunt iis, quæ vulgo videntur, & manibus tanguntur, quia illa viva sunt, atque vegetari & crescere possunt, vulgaria autem mortua sunt. Atque hoc si ita sese non haberet, materia nunquam ad ultimam perfectionem pervenire posset, qualem ars illi largitur, quæ quidem tanta est, *ut imperfecta metalla*, ut *Hermes* dicit, *miraculose quasi perficiat*. Hoc tamen invisibile aurum vel argentum, quod per magisterium in tam sublimem gradum exaltatum est, absque ope & ministerio auri vel argenti vulgaris, imperfectis communicare non posset istam perfectionem, qua etiam de causa Artistæ unum vel alterum fermenti loco adjungunt, atque ita aurum semper Elixeris pater est. Oportet autem illos, qui ulterius hujus veritatis confirmationem desiderant, bonos autores sedulo evolvere, cum propositum mihi non sit hac de re plura dicere. Sufficit enim ut monstrem, mihi videri,

 divinum

divinum *Hermetem* uno eodemque digito tam hanc quam alteram cordam tangere voluisse, sive sub uno verborum cortice duplicem sensum occultasse, ut satis declarat, quando dicit, *sese Hermetem Trismegistum dictum esse, quod tres partes sapientiæ totius mundi possideat*; innuens nimirum, quod, postquam hujus generalis spiritus Anatomiam instituerit, (qui omnium trium summorum generum, totum & universum hujus mundi complectentium, autor materialis & principium est,) scientiam & sapientiam universalem adeptus sit, ut amplius illum nihil latere possit; præcipue etiam, cum de principio dixerit, & quomodo omnes res ab uno mediatione unius prodierint, atque ita ab hac una re omnia per adaptionem orta sint. Hoc igitur UNUM, unde omnes aliæ res natæ sunt, est spiritus ille generalis, de quo tractare constitui. Et hæc unica res, a qua dicit miracula debere perpetrari, est vera materia mineralis lapidis, de qua superius locutus sum, quæ ex prima materia generali sive spiritu universali in terra a natura producta est; qui spiritus, omnes cœlestes virtutes in potentia in se continens, huic materiæ minerali tantum communicavit, quantum ad subsistentiam perfectam obtinendam, ad quam erat destinata, opus habuit.

Sed ut ad priora redeam, relictis Chemicorum viis, quantum hoc subjectum patietur, dico,

to, hunc spiritum generalem esse lapidem & Elixir a natura compositum, qua mediante, omnia sua miracula perpetrat, atque multo magis admiratione dignum esse, quam Chemicorum lapidem, cui solummodo per hunc ipsum spiritum concessum est, ut in suum simile agat, ad introducendum id, quod illi deest. Quia enim vere metallicus, purificatus & per artem completus est, purificat etiam & perficit metalla impura, digestionis inopia in his impuritatibus relicta. Hic autem lapis Physicus perpetuo restituit res, quæ ab illo principium sortitæ sunt, & singulis momentis novas parit, tam in genere animalium, quam vegetabilium & mineralium. Id quod sine corporum cœlestium ope & influxu facere non posset, Solis præsertim, tanquam originis & principii omnium facultatum & generationum. Solem igitur habet parentem, & continet in se aurum & argentum spirituale, quia est prima materia primæ materiæ auri & argenti corporalis. Et quia aër medium est, per quod virtutes superiores recipit, *Hermes* dicit, *quod ventus eum portaverit in ventre suo*, quam etiam ob causam *Raymundus Lullius Mercurium aëreum* illum appellat. Terra vero, instar primi parentis, eum in sinu suo fœcundo nutrit, quod omnium rerum ex terra nascentium productione probatur. Si enim spiritus hic eidem non esset inclusus, non haberet potentiam nec vires ad generationem & producti-

 onem,

onem, cum proprie non sit aliud, quam vas aut matrix tot generationum & diversarum productionem. Hæc materia generalis, quæ Mercurius vocatur, cum sit, prout Sapientes dicunt, invisibilis & fere incorporea, non potest corporea fieri & visui apparere, nisi per subtile artificium. Quæ quidem materia, si ex sinu nutricis suæ extrahatur, postea ab omnibus accidentalibus superfluitatibus repurgetur, & per artem præparetur, quid impediat eam, quin a corporibus, quibus applicatur, res corrumpentes & heterogeneas separet, homogeneas autem & sibi conformes conservet & multiplicet, maxime cum omnes vires cœlestes & virtutes mundanæ in *illa* concurrant?

Certum est autores male intellectos videri jubere aut potius consulere, ut ad metallorum productionem metalla usurpentur, cum dicunt, in auro esse semina auri. Sententia equidem instar arresti sine appellatione. Prætterquam enim, quod antea locutus sum de differentia metallorum vulgarium & eorum, quæ Philosophi ad confectionem magisterii sui accipere jubent, non tamen timeo affirmare, quod sine hoc spiritu generali, qui vegetationis in omnibus rebus sola causa est, facultas aurificandi & argentificandi, corporibus metallicis tam vulgaribus quam secretis & occultis insita, ad vegetationem, & de potentia in effectum deduci non possit, quia natura

seipsam

seipsam non producit, & in omni operatione opus est agente aliquo & materia ejus actioni subjacente. Et hic procul dubio *ignis* ille est, de quo *Pontanus* loquitur, *quem Sapientes omnes occultaverunt, tanquam solam clavem sui secreti, cujus defectu*, (ut ipse fatetur,) *ducenties in practica erravit, quamvis in vera materia laboraret.* Hic igitur Mercurius triplex, aut summum universale, primum omnium metallorum semen est, ut & reliquorum duorum generum, quod pedetentim coagulatur & continua caloris actione, in mineris latente, indurescit, ac quam primum ad perfectam puritatem pervenit, tincturam recipit. In diversas autem species abit, diversasque formas & colores acquirit, prout locus & materia adjacens variat, producens metalla, mineralia & lapides in ventre terræ, atque in superficie ejus arbores ac plantas omnis generis, prout radiis Solaribus animatur, sine quibus sterilis maneret. A principio enim Natura hanc legem stabilivit, ut Sol perpetuo calefaciat & nutriat materiam, ejusque vis triplex, animalis, vegetabilis & mineralis indesinenter ad effectum moveatur: & hæc quidem est causa, cur *Hermes* scripserit, quod *Sol ejus sit pater.*

CAPUT V.

Quomodo Luna sit mater Spiritus mundi, & materia universalis.

NE quis hoc loco decipiatur, considerandum est, quod sicut nos Corpus, Spiritum & animam habemus, eodem modo Magnum hoc universum eadem habeat. Et cum nulla res existat, quæ tribus hisce careat, necessario sequitur, quod semper cognationem aliquam invicem habeant, ita ut una sine altera nunquam inveniatur. Quamvis etiam videatur, duo interdum esse a subjecto separata, sunt tamen eadem in tertio restante occultata, prout subtilis & profundus aliquis artista facile cognoscere, & in unoquoque corpore per ignis examen experiri potest. Quod igitur materia est, idem etiam spiritus est, & quod est spiritus, non impertinenter corpus appellari potest, considerando, quod invisibilia sint, & naturæ lege ita generata, ut una sola & eadem res sint. Qua ratione materia non tantum corpus est, anima ut spiritus, sed hæc tria simul refert, quia unum cum altero generatur & nutritur, ita ut in propagatione & actione unius semper duo reliqua inveniantur.

¶ Quando igitur dicimus, Lunam esse matrem spiritus & materiæ universalis, non sine

evidenti ratione loquimur, & nihil hic absurdi est, verum penitius inspicere nos oportet, unde hæc maternitas proveniat. Calor & humiditas sunt duæ claves omnis generationis, & calor quidem masculi officio fungitur, humor autem fœminæ. Per actionem caloris super humiditatem oritur primo corruptio, quam sequitur generatio. Id quod in parvo corpore ovi manifesto apparet, in quo sperma putrefit per calorem fomentationis & incubatus, postea coagulatur & formatur pullus: idem accidit in hominis generatione, qui in corpus completum per unionem duorum spermatum, masculini nempe & fœminini, in matrice, ope caloris naturalis fœminæ, in omnibus suis partibus deducitur.

Corruptionem hic voco mutationem & transitum formæ in formam, quæ non nisi mediante putrefactione, (solo medio & via ad generationem,) fieri potest, & hæc beneficio Mercurii cujusdam, aut argenti vivi, specialis nempe conductoris & delatoris virtutis vegetativæ promovetur. Semina autem omnium corporum aquea sunt, & quasi plena humoris Mercurialis. Quod si igitur calor illorum innatus per externum Solis calorem de potentia in actum deducitur, tum per decoctionem generatio procuratur. Hinc antiqui Philosophi dixerunt, quod Sol & homo generent, Sol nempe cœlestis Solem terrestrem, qui aurum est, & homo hominem. Et manifestum

eſt, ſine igne Solari ignem elementarem mortuum & ſterilem eſſe, unde etiam Sol dominus vitæ & generationis vulgo appellatur. Calor igitur in omni rerum generatione a *Sole* provenit, humiditas autem radicalis per influentiam Lunarem fomentatur, qualem omnia ſublunaria recipiunt & ſentiunt, nempe quando alterantur aut mutantur per motum hujus aſtri in augmento aut decreſcentia ejusdem. En rationem, cur *Hermes Lunam materiæ univerſalis matrem dixerit, & Solem ejus patrem:* Calor enim Solis & Lunæ humiditas cuncta generant, quia calor & humiditas, ſi ad temperamentum deducuntur, concipiunt, & ex hac conceptione omnia naſcuntur & vitam accipiunt. Et quamvis ignis & aqua contrarientur, unum tamen ſine altero prodeſſe non poteſt, ſed per diverſas eorum actiones omne concipitur & concipit.

Ainſi dans l'univers diſcordante concorde.
Aux generations devient apte & s'accorde.

Hoc eſt:

Hocque modo, in mundo nova ſi generatio prodit,
Quæ fuerat diſcors, modo fit concordia concors.

Nolo tamen apud lectorem hujus capitis ſuſpectum me reddere, ut nimis præcipiti judicio credat, quod intentionem principalem Hermetis a via regia & trita Chymica in ſemitam, cui ego inſiſto, abſtrahere velim, utpote qui ſciam, omnes bonos Philoſophos juxta

ta

ta ejus præceptum ſtatuere,& velle, ut Sol illorum Lunæ conjungatur, ad abſolvendam neceſſariam generationem per hanc conjunctionem. Ut enim *Arnoldus de Villa nova in Flore florum dicit, ſperma Philoſophorum non conjungitur corpori eorum niſi mediante Luna ipſorum, & hæc Luna non eſt argentum vulgare, ſed vera lapidis materia, quæ in ventre ſuo congregat & inſeparabiliter retinet corpus, quod eſt Sol, & ſperma, quod eſt Mercurius.* De hac etiam Luna loquitur in ſuo *Novo lumine*, cum dicit, *excepto magiſtro ſuo, a quo hoc opus didicerit, neminem ſe vidiſſe unquam, qui in vera materia operatus ſit, ſed quod omnes extravagati fuerint, & in rerum electione erraverint, quaſi ex cane hominem generare vellent.*

CAPUT VI.

Quod radix ſpiritus mundi in aëre quærenda ſit.

VEntus nihil aliud eſt, quam aër, commotus & agitatus, ut per animalium reſpirationem cognoſci poteſt, quæ ventum efflant, quando aëris beneficio reſpirant. Ventus igitur aër eſt, & aër totaliter vitalis eſt & vitæ ſpiraculum, quia ſine aëre nihil vivere aut conſiſtere poteſt, quicquid enim illo privatur, moritur & ſtatim ſuffocatur; imo etiam ipſæ plan-

tæ,

tæ, libero aëre destituræ, debilitantur, & aliarum respectu languescunt. Non igitur frustra aut sine ratione dicimus, quod aër sit spiritus vitalis, omnia penetrans, vitam & consistentiam omnibus communicans, ligans, movens & implens omnes res. Per hunc aërem generatur & sese manifestat spiritus universalis inclusus & latens in cunctis rebus, utpote formatus & ingrossatus per aërem, qui eum ad generandum potentiorem reddit, ut hac de causa *Calid* Philosophus non sine justa ratione dixerit, *mineras rerum radices suas in aëre habere, caput autem & verticem in terra:* quasi diceret, aërem esse causam, quod hic spiritus vegetet, augmentet & multiplicet mineram suam in terra. Quanquam etiam illi, qui in præparatione lapidis Sapientum experientiam aliquam habent, dicere possent, *Calidis* prædictum locum aliter esse intelligendum. Nam secundum doctrinam eorum in opere philosophico duæ sunt partes, una volatilis, quæ in forma vaporis elevatur, condensatur, & in aquam resolvitur, quam spiritum nominant; altera autem fixior, in vasis fundo residens, quam corpus appellant, accipiendo nempe partem volatilem pro aëre, & fixam pro terra, prout etiam sunt in sua natura. *Rosinus* eandem sententiam per aliam ejusdem autoris explicuit, quando dicit: *Accipite res animarum suarum, & exaltate eas ad altiora loca, & metite eas in cacumine montium suorum, & reducite eas ad*

radices

radices suas. Ubi glossa dicit, hæc verba esse clara & vera, sine invidia aut ambiguitate prolata, quanquam non nominaverit res, quas intellexit, aut de quibus loqui voluit. *Per montes autem*, (dicit *Rosinus*,) *Sapiens significare voluit cucurbitas, & per cacumina montium alembicos. Metere autem secundum similitudinem est, recipere aquam rerum supra dictarum per alembicum in recipiente. Reducere vero super radices est, facere, ut dicta aqua reducatur in terram, unde surrexit.* Hoc itidem per *Morienum* confirmatur, cum dicit, *totam operationem Sapientum nihil aliud esse, quam extractionem a terra, & reductionem aquæ super terram, donec terra putrescat.* Hæc enim terra putrefit, cum aqua & mundificatur, qua munda existente, auxiliante Deo, totum magisterium dirigetur & perficietur.

Quidam tamen aërem non posuerunt in ordine aliorum elementorum, sed eum instar glutinis aut calcis esse judicarunt, diversas eorum naturas conjungentis. Putarunt nempe, eum esse spiritum aut instrumentum mundi, quia est origo & delator nostri spiritus universalis. Concipit enim proxime influentias omnium corporum cœlestium, atque hasce aliis elementis & corporibus mixtis communicando, nihilominus, sicut divinum quoddam speculum, species & formas omnium rerum naturalium recipit & retinet, quas secum deferens & per poros animalium iterum se insinuans easdem illis imprimit, sive vigilent

seu

ſeu dormiant. Ab animalibus & vegetabilibus diſcimus, quod omnis ſpiritus, terræ propriæ inhærens, vires & virtutem ſuam ab aëre accipit; videmus enim eas res creſcere & alta petere, uſque adeo ſpiritus ille, qui vitam ipſis largitur, aërem appetit, tanquam locum, a quo originem duxit. *Hermes* etiam ait, *quod ventus*, hoc eſt, *aër portavit in ventre ſuo*. Cui ſubſcribit *Ariſtoteles*, dicens, *quod res humida ex aëre naſcantur, & terrena ex humidis*: aër enim terræ corpori proximus exiſtens humectat eam undique, & hic humor, per calorem nativum, condenſatus, in naturam cujusdam terræ vertitur, quæ Mercurium & ſulphur debite proportionata in ſe continet.

CAPUT VII.

Quomodo ſpiritum univerſalem terra nutriat.

QUamvis hic ſpiritus infuſus ſit, & in rebus tam inferioribus quam ſuperioribus habitet, in corporibus tamen proximioribus evidentius & facilius videri & cognoſci poteſt. Proximius autem & magis vegetum corpus terra eſt; in illa ergo generatur, & non ſine magna ratione copioſius manifeſtatur. Terra enim inſtar ſcopi cujusdam eſt, in quem aſtra omnesque influxus ſuperiores radios ſuos &

irtutes simul projiciunt. Est insuper eadem undamentum & basis reliquorum elementorum, continens in se semina & virtutes seminales omnium rerum; qua de causa communis mater animalium, vegetabilium & mineralium vocatur. A cœlo igitur & aliis elementis imprægnata ex sinu suo omnia produ... Et licet hic spiritus ab ea expellatur, laventur etiam, aut ab ea, quicquid volueris, separatur, si tamen hæc terra ita exinanita aliquandiu in aëre relinquatur, imprægnabitur iterum, ut antea, a virtutibus & viribus cœlestibus, ut lapillos quosdam crystallinos & lucentes scintillas iterum edat, atque hoc modo spiritus ille, separatus omnino existimatus, semper regerminabit. Imprægnatio igitur, actione cœlorum & primarum qualitatum facta, reddit eam continue generativam, ex illa enim omnia proveniunt, quæ sub Lunæ circulo existunt. Producit ea omnes res vita præditas, hasce conservat, nutrit, tandemque illas resolvit, & in suam naturam transmutat. Agitata insuper ab actionibus supradictis duplicem expirationem projicit, tam extra se, quam intra se, quæ quidem expirationes ab hoc terreno spiritu, commoto & a cælesti calore calefacto, egrediuntur. Ab expiratione extra terram elevata, si nempe humida sit, ros & pruinæ enascuntur, si vero sicca sit, ventos, fulmina & alias hujusmodi siccas aëris impressiones producit. Ab expiratione autem in ea

con-

conclusa manente, si humida fuerit, omnes res liquabiles generantur, nempe metalla & mineralia; quod si sicca extiterit & arida, res non liquabiles, lapides nempe & alia ejus generis, producet. Omnes præterea res vegetabiles proveniunt & alimentantur ab hoc spiritu, cujus nutrix terra est; qua de causa antiqui Poëtæ hanc terram matrem & nutricem omnium rerum nominarunt.

CAPUT VIII.

Quod spiritus mundi sit causa perfectionis in omnibus.

SPiritus universalis est genus generale & omnibus generibus commune. Si enim mundum inferiorem sive elementarem inspicimus, illum in tria subalterna divisum inveniemus, nempe in vegetabilem, animalem & mineralem, semper tamen idem est in quavis re, diversimode autem operatur secundum specierum diversitatem. Et hinc infinita creaturarum varietas oritur, alioquin enim necesse foret, ut una tantum species rerum in toto universo esset. Si autem superiorem & cœlestem mundum considerabimus, inveniemus etiam, quod spiritus ille unus & æqualis in omnibus sit, nec unus ab alio differens, nisi in sola puritate & subtilitate. Nam de ejus pura substantia ignea *facti*

sunt

sunt spiritus cœlestes, qui ab inferiore corporali grossitie longissime distant. Et de substantia media aërea compositi sunt globi cœlestes & luminaria eorum. Constituit ergo ille res omnes, quia virtutes & vires rerum superiorum & inferiorum habet, & quidem propter exquisitam suam temperiem. Hoc enim corpus inter omnia principium & finis est perfectionis, & si viribus suis destitueretur, nunquam rem ullam perficere posset. Intelligimus tamen hic perfectionem simplicem & naturalem. Quamvis igitur perfectus tantum sit secundum naturæ intentionem, continens in se regulam, lineam, actionem & potentiam perfectionis, acquirit tamen tantas vires super res naturales, ut omnia de potentia ad actum trahat: ille alterat & penetrat omnia, quanquam spissa sint mollificas res duras, indurat molles, & tandem augmentat, nutrit & conservat omnia. Hic igitur spiritus, in cunctis corporibus autor generationis & corruptionis existens, necessario triplicem habet operationem; per siccitatem enim vivificat, per frigiditatem congelat, & per humiditatem suam congregat & unit. Hanc ob rationem terræ triplicis auttrinæ nomen illi fuit impositum, nimirum vitrificantis, salsuginosæ & Mercurialis. Omnia enim quæ in mundo existunt, ex sale, vitro aut Mercurio facta sunt, quanquam apud Paracelsum paulo aliter principia ista enume-

rentur, nempe Sal, Sulphur & Mercurius; & Vitrum pro quarto adjungatur, ac si dicere vellet, omnes res, ex dictis tribus primis compositas, ultimo ad quartum redigi, ita quidem ut ultra Vitrum nulla possit fieri productio, neque per naturæ nec per artis industriam. Probabo interim opinionem meam exemplis & rationibus sequentibus, ossa animalium per vitrificationem consolidata & indurata sunt; Caro & nervi per Sal concreverunt, & per humorem Mercurialem unita & congregata in massam coierunt. In natura vegetabili testæ amygdalarum, pinearum, juglandium, avellanarum, & res hujus generis aliæ possunt similiter vitrificatæ dici; eodem modo & conchæ testudinum, limacum, ostrearum & similium animalium, quæ terra & mare producunt. Gustus equidem solus sufficienter monstrabit, quod vere hæc corpora salsa sint, nihil enim Sale caret, nisi id, quod insipidum est, imo salsissima sunt ista, ex quibus vitrum fit, filix nimirum, Kali, & plura similia. Posset hic quispiam objicere, non vitrum, sed Sal causam esse indurationis ossium, testarum, & concharum in animalibus & vegetabilibus a me adductis; ad quod respondeo, quod experientia in hisce refragetur, & ratio itidem; quia Sal resolvitur & liquescit per minimam etiam humiditatem aëream aut aqueam, cujus contactum incurrit, aliæ autem res antea enumeratæ liquefactioni resistunt, secundum quod

quod magis vel minus per virtutem hanc vitrificatoriam induratæ sunt: ubi ad ultimam hujus assertionis confirmationem adducere volo lapides pretiosos, adamantem & crystallos, qui aliud nihil sunt, nisi Vitrum in furno ingeniosæ naturæ ad suam perfectionem elaboratum. Quod autem omnes istæ res per humorem Mercurialem condensatæ sint, usque adeo manifestum est, ut alio testimonio non sit opus, quam communi experientia. Mineralia sufficienter Sale dotata sunt, ut & Sulphure & Mercurio. Lapides & omnia, quæ ex terra extrahuntur, fusionem & extensionem sub malleo non ferentia, habent quidem aliquid Salis in se, sed hoc per adustionem sulphuris corrumpentis superatum est, quod in vitrificatione & induratione illorum intervenit. Metalla & omnes res fusibiles & ductiles concretæ & condensatæ sunt beneficio Salis & Mercurii, non quidem sine vitrificatione illas indurante, & ad malleationem difficiles reddente, attamen prout magis vel minus impuritati & adustibili terrestreitati implicantur, quæ in condensatione & coagulatione Mercurii illorum intervenerunt. Atque ita possumus vere dicere, quod omnes res quasi ex triade generatæ sint, ex Vitro, Sale & Mercurio, sive ex aqua, ubi Vitrum est causa duritiei, Sal præbet materiam, & aqua unitionem & condensationem efficit.

CAPUT IX.

De specificatione spiritus universalis ad corpora.

ANima mundi, ejusque actio & virtus in omnibus rebus repræsentatur, in quibus illa tota conformis est. Illa ligat & conjungit res superiores & inferiores. Quotquot enim in cœlo ideæ sunt, tot habet illa causas & rationes seminales, unde mediante hoc spiritu tot species in materia format. Quando igitur interdum accidit, ut aliqua harum specierum degeneret, postea anima, quæ intus est, mediante hoc spiritu mundi reformari, & ad pristinum statum reduci, qui illi proximus est, & ad omnem motus modum obedit. Interim cogitandum non est, hunc intellectum idealem attrahi, sed potius animam ejus virtute dotatam esse, & per formas materiales allici. Quod quidem absurdum nemini videri debet, nam & illa sibi ipsi nutrimenta & cibum præparat, tanquam transmutabilis in omnes res, per quas attracta & solicitata fuit, & in iis semper manens & libenter residens. *Zoroaster* congruentiam & harmoniam formarum cum rationibus animæ mundi allectiones sive illecebras nominat; unde apparet, quod omnis res & species dona & vires suas ab anima mundi hauriat, non quidem omnes totaliter,

ter, sed eas quæ semen aut propagationem & his conformes alias concernunt, per quas germinat & pullulat. Exemplum hujus in homine observari, potest, qui licet humano victu tantum nutriatur, non acquirit naturam avium aut piscium, quos comedit, sed humanam speciei suæ convenientem. Contingit etiam, interdum plura alia animalia iisdem cibis & alimentis vescantur, ex quibus tamen quodlibet attrahit illud, quod speciei suæ proprium est. Ita ut admiratione dignum sit, quod ex uno eodemque cibo homo attrahat id, quod homini proprium est, avis autem & animal id, quod avi & animali convenit. Hoc autem fit, non quod in uno eodemque cibo diversa & varia alimenta sint, sed ratione speciei nutritæ, quæ attrahit, & in se conforme sibi nutrimentum transmutat, quo mediante sibi simile generat, ob virtutem hujus animæ, & rationem seminalem, quam secundum suam qualitatem in se habet.

Sed nec putandum est, in machina mundi spiritum, animam & corpus res esse separatas: hæc enim tria unita & semper invicem colligata sunt, ut in homine apparet, & per hanc unionem spiritum vitalem integrum reddunt, & substantiam corporalem. Anima igitur universi fingit & sibi imaginatur diversas formarum species, quas spiritus in viscera elementorum recipiens corporeas facit, & in lucem producit. Hinc animalia tantum ani-

malia generant, plantæ plantas, & mineræ mineralia, quanquam non uno modo per omnia: mineralia enim, ut antea dixi, non generant ſuum ſimile eodem modo ut plantæ, quia ſpiritus eorum materia nimis groſſa cohibetur & opprimitur, qui ſpiritus, ſi congrue extrahi & cum minerali materia conjungi poterit, generabit ſibi ſimile, quia acquiſita ingreſſione & penetratione in *corpora* imperfecta, per ſummam artis ſubtiliationem & ignis graduationem artificioſam, hauſit propria & mineralia tantum ſemina, non autem animalia aut plantalia, quia hoc naturæ repugnaret. Non dico tamen, quod careat actione reliquarum virium, ſed quod eam non demonſtret niſi ſecundum ſpecies, *quibus* accommodatur: alioquin enim oporteret, ut quævis res diſſimilem ſibi produceret, nempe ut arbor generaret hominem, planta bovem, & metallum herbam. Quod *quidem* tantum reſpectu ſpecificationis rerum loquor. Si enim genus generaliſſimum, (ut vocat *Raymundus Lullius*,) conſideremus, producit id ſibi ſimile in omni re, cui conjungitur, quia Mercurius eſt, & naturam omnium, quibus commiſcetur, aſſumit. Ars autem humana facere non poteſt, quod Soli naturæ conceſſum eſt, quæ ſpeciem procreat, quam ars poſtea dilatat & multiplicat, ſi operatio incipitur cum radice ſpeciei, ut facere norunt prudentes Phyſici, qui extrahentes ex *minera*

ſpi-

ſpiritum aliquo modo ſpecificatum, imo etiam decenter purificatum & ad perfectionem reductum, aptum plane reddunt, ut imperfecta perficere poſſit. Et his quidem eacte permiſtis induſtrius & expertus artiſta adaptationes mirabiles facile inſtituet.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Quod ſpiritus mundi corpus aſſumat, & quomodo incorporetur.

PRæcedenti libro puto me ſufficienter expoſuiſſe, quod per ſpiritum univerſalem omnes res non ſolum productæ, ſed etiam corporeæ factæ ſint. Reſtat igitur declarandum, quale corpus hic ſpiritus aſſumat, & qua ratione corporeus fiat, omneſque alias res corporeas reddat. Neceſſarium enim eſt, ut ipſe corporeus ſit, ſi ab illo ſolo reliqua corpora corporea fieri debent, cum credibile non ſit, quempiam dare poſſe, quod nunquam habuit. Videamus igitur, quali corpore & quo modo veſtiatur, non quod meum ſit inſtitutum, de corporificatione rerum cœleſtium & ſupernaturalium hic diſputare, ſed tantum, ut

discursum meum ad generationes Physicas sublunares applicem, atque ad corpus terræ quod est vas & vera matrix, ubi primus & generalis corporificator rerum seipsum corporificat. Dico igitur, quod nulla corporificatio fieri possit sine motore præcedente, qui potentiam ad actum deducat, ut id, quod existere non creditur, in lucem egrediatur, & ad terminum finalem, pro naturæ intentione, perveniat, qui semper est, corporificare id, quod producere vult. Motor autem ille alius nullus est, quam ignis, sive calor, qui primo in aëre se movet. Omnes enim generationes inde incipiunt; quia ignis omnium elementorum maxime activus est, & consequenter quo subtilior & levior, tanto promptior est ad motum. Ignis igitur, cujus proprietas est, propter vivam suam levitatem sursum tendere, & res incognitas visibiles reddere, necessario originem motus sui & actionis ab inferioribus, hoc est, a centro terræ accipit, ubi, ut antea diximus, antiquus *Demogorgon*, omnium rerum progenitor, habitat, residens ibi in suo throno, tanquam in medio imperii sui, ut inde gubernet, mandet, conservet, & essentiam vitæ omnibus partibus magni istius corporis sphærici, rotunde circa ipsum expansi, undique participet, ut quodlibet in unoquoque membro id, quo caret, facilius & æquali distantia recipiat. Hujus prisci parentis fœcundo gremio ignis radix implantata est, qui inde vaporantem halitum

excitat,

excitat, quem *Hermes* in suo *Pœmandro Naturam humidam* appellat. Vapor enim prima & proxima actio ignis est, cum quo taliter conjuncta est, ut sine illa ne quidem imaginatione concipi possit.

Sed dicet aliquis, si vapor ab igne proveniat, quomodò humidus esse potest, cum ignis calidus & siccus sit, unde igitur contraria ista qualitas accedere illi potest? Nihil hic inconveniens est, si considerabimus, impossibile esse, ut ignis absque humore vivere aut subsistere queat, qui alimentum ejus, imo sustentaculum & subjectum est, sine quo ipse ignis ne quidem imaginationem incurrere potest. Quia enim natura ejus est, agere, ejusque actio indeficiens est, necessario oportet, ut in rem aliquam agat, atque ut hac de re nunquam destituatur. Ignis igitur & coëssentialis humiditas sunt instar maris & fœminæ in generatione, & corporificationis hujus spiritus mundi primi parentes, ut postea videbitur. Ignis autem instar primi operatoris est, quia actio passionem semper præcedit, quanquam patiens cum agente inseparabiliter coëxistit, sicut olim dicebat Stoicus *Zenon*, putans, substantiam ignis per aërem in aquam versam, & in illa instar spermatis generalis conservatam, primam universalem materiam, & inde postea omnes res generatas fuisse. *Thales Milesius*, quem Græci Sapientem cognominant, considerans materiam patientem, sta-

tuit, quod aqua ea sit, quam *Heraclitus* etiam mare nominabat. Et *Moyses*, magis illuminatus, quam illi duo, dicit, quod spiritus Dei, ante creationem cœli & terræ, super aquam ferebatur, ignem, ratione nobilis, puræ & dignæ essentiæ, spiritum Dei nominans. Quando igitur ignem rerum principium esse dico, non sane rationis, aut veritatis limites transgredior, est enim sine dubio primus operator & ultimus destructor & mutator formarum, quarum causa extiterat, eo usque etiam, donec res ad periodum & materiam suam reduxerit, ultra quam non datur progressus, sed tantum transformatio, sicut hoc ipsum mox comparatione rerum visibilium & familiarum declarabo. Prima potentia activa, quæ in hominis productione operari incipit, agitatio est aut motus caloris, qui actinem ignis imitatus, (cujus præcipua natura est separare,) trahit de toto corpore sperma, (in quo semen humanum in potentia continetur,) illudque coquit & digerit, ut ad expulsionem & postea ad generationem & augmentationem perfectam hominis integri aptum fiat. Quæ quidem generatio & augmentatio semper ab igne juvatur & conducitur, qui solus operator est, adeo, ut si ad finem exaltationis suæ pervenerit, a sulphure excrementorum, ex impuritate alimentorum procedentium, nimis inflammatus, humidum radicale, vitæ sedem & conservatorem, exsiccet: quo facto ignis tamen ille actionem suam non intermit-

termittit, donec corpus per resolutionem & corruptionem in cinerem redegerit, qualis actio a nulla alia re, quam ab igne, proficisci potest. Quo vero melius hoc intelligatur, & quasi palpabile reddatur, ut prima corporis materia per cognitionem ultimæ facilius cognosci possit, imponatur corpus igni vulgari, & statim videbimus inflammabile quidpiam illud in se habere, quod totum pene consumitur, donec in paucos cineres redigatur, quos igneæ naturæ participes esse videbimus, & pro ultimo subjecto & materia purum Sal quoddam continere, cujus unicus parens & multiplicator solus ignis est; & licet ulterius comburatur, semper tamen Sal relinquetur, in cujus interiori ignis occultatur, qui suo simili delectatur. Hac ratione Spagirici experti sunt, quod in sale sit quidpiam incombustibile, sive secretum ignis elementum, qui cum primitivo igne easdem actiones habet, qua de causa balsamum corporis appellatur, quia in se habet id, quod vitam dat, augmentat & conservat, quod nihil aliud est, quam vapor humidus calore temperato concomitatus. *Johannes Fontanus in narrationibus suis Philosophicis* (a) satis demonstrat, quod hoc secretum non ignoraverit, quando naturam ita dicentem introducit:

Aucuns disent, que feu n' engendre
De son naturelle force que cendre:

Mais

(a) *Roman Philosophique.*

Mais leur reverence sauvée
Nature est dans le feu antée:
Et si prouver je le vouloye,
Le Sel á temoin je prendroye.

Quæ Latini ita reddi possunt:

Sunt aliqui, placuit quibus affirmare, quod ignis
Præterquam cineres nil generare queat.
Ast mihi commodius sentire videntur, in igne
Naturæ vires qui residere putant.
Hujus propositi si quæ argumenta requires,
Dicam, sufficiens Sal mihi testis erit.

Quod autem de humore participet, ex facili ejus resolutione liquido apparet, quemadmodum etiam caloris ejus plenitudo ex prompta congelatione non difficulter demonstrari potest; ex qua observatu dignum est, quod ignis agat, & cum igne uniatur, sicut in liquefactione aër cum aëre conjungebatur. Quomodo enim in uno subjecto siccum posset humidum bibere, si calor non esset innatus, cum siccitas a calore procedens naturaliter humorem imbibat. Atque hinc facile intelligi potest, quod Demogorgon, ignis nempe centralis, humiditate non destituatur, super quam in suo proprio sinu agens vaporem elevat ex duabus qualitatibus mixtum, quem ego mundi spiritum voco, multi autem Philosophi Mercurium Mercuriorum nominant, quia omnes alii universaliter ab hoc procedunt. Hic tamen vapor elevatus nondum corpus est, sed res

media

media inter corpus & ſpiritum, tanquam participans de una & altera ſubſtantia, qui ſi eo in ſtatu maneret, non poſſet ullam rem generare. Oportet igitur, ut corpus aſſumat, aut corpus formet, quod hoc modo fit: Vapor ille ſubtilis, ex ſicco & humido procedens, quando elevatur, penetrat ſpongioſitatem terræ, in qua pedetentim in aquam Mercurialem convertitur ab occurſu aëris infuſi & ipſius terræ, cujus ſuperficies a centro longiſſime diſtat, in quo focus eſt, unde hic calor ſurgit; eadem fere ratione ac in alembico fit, ubi vapor aut ſpiritus deſtillandus funditur & confluit. Quia vero vapor hic, ejusque aqua de duobus principiis participant, calore nempe & humiditate, ingroſſatur, & ſenſim per moderatam & continuam coctionem condenſatur, cujus actionis principale inſtrumentum & medium ignis innatus eſt, quem hic ipſe vapor continet, per actionem ſuam aſſiduam ſtimulans, imo cogens, ſiccum bibere ſuum humidum, & hujus aquæ coagulationem facere, non quidem cum ſoliditate aut duritie in omnibus & per omnia ſimili, ſed mucilaginoſa primo & differente. Quod autem natura per informationem idearum in mucilagine facere tentat, principium eſt indurationis & ſoliditatis, quæ neceſſario naturæ viam tenere debet, quæ eſt progredi ab una extremitate ad alteram per diſpoſitionem mediam. Natura igitur digeſtionem ſuam continuante, hæc mucilago

cilago sistitur, & de ejus grossiori materia corpora metallica in venis terræ aut petrarum cavitatibus generantur: quæ corpora, utpote ex uno semine orta, non differunt substantia, sed tantum accidentibus, quæ illis secundum dispositionem locorum aut matricum adveniunt, in quibus generata sunt. Quod vero in hoc vapore subtilius est, cum libenter ascendat, tandem ad superficiem terræ pervenit, ubi subsistere cogitur. Et quia ociosus esse non potest, neque regredi datur aut altius ascendere, (spiritus enim cum sit, proprium ejus est, sese elevare) quia etiam solidi nihil invenit, quod ipsum portare possit, cogitur naturæ intentionem continuare, atque ideo generationi & corporificationi individuorum incumbit. Veruntamen ut clarius intelligatur id, quod dixi, accipiamus unum horum individuorum, atque ut huic capiti absolutam conclusionem imponamus, videamus, quomodo id ipsum productum sit. Hoc enim certos nos reddet, quod spiritus ille mundi corpus assumat, nobisque monstrabit, qua ratione sit corporificatus. Glans in terram defossa aut seminata semper inutilis ibi maneret, & absque germinatione consumeretur, nisi agens quoddam penes se haberet, quod potentiam occultam, a natura illi inditam, ad actum promoveret. Unde quæso actionem istam imaginari sibi quispiam posset, nisi ab igne centrali exeunte ex corde Demogorgonis? qui ignis attractus, & per radios

dios Solis cœleſtis fomentatus in viribus & vigore ſuo duplicabitur. Germinatio igitur ſua nonne initium ſuum ab igne naturæ capit, qui, vaporem ſuum elevans & multiplicans, excitat ignem innatum in glande, quæ ex ſua parte etiam in vaporem reſolvitur, mediante ſuo proprio aëre. Hic autem vapor ſuſcitatus nutritur & augmentatur a vapore primo, qui nunquam deficit, nec agere in materiam glandis ceſſat, donec ad periodum perfectionis ſuæ devenerit, ad quam intentio naturæ ipſam deſtinavit, quæ eſt, ut fiat quercus: atque eadem, poſtquam ſuo tempore ad magnitudinem naturalem excrevit, incipit non quidem proprie mori, ſed ad declinationem vergere, & tandem in primam formam converti, nempe in terram, ubi idem vapor nondum deficit, aut otioſus eſt; naſcuntur enim ex hujus arboris putredine animalcula quædam, polypodes vocata, una cum infinita beſtiuncularum aut vermium copia: aut, poſtquam quercum in terram convertit, aliam inde vegetationem incipit. Si quis autem cogitare aut dicere vellet, maſſam glandis augmentari & multiplicari, erroneum hoc eſſet. Manifeſtum enim eſt, illam in germinatione integram manere, & ſine diminutione aut qualicunque minoratione a germine ſuo ſeſe ſeparare, & tamen arbor inde exiit. Non ergo ex multiplicatione & augmentatione glandis quercus enaſcitur.

ſcitur. Per additionem etiam & diſtractio[illegible] nem terræ adjacentis parum accedit, [illegible] hauriretur enim tantum terræ, quanta [illegible] boris eſſet magnitudo, quod tamen non [illegible] Neceſſe igitur eſt, ut hoc fiat alia quapiam via & materia, poſtquam nec hac nec illa ratione ex dictis accidit. Hic igitur ſpiritus aut vapor, ſolus ad hoc deſtinatus, ille eſt, qui incorporatur, & hoc individuum producit, & ab illo provenit creatio, augmentatio & conſervatio omnium rerum, non autem ex maſſa terreſtri, quæ nihil aliud eſt, quam excrementum materiæ ſpirituoſæ & primævæ; ut ex digeſtione ſtomachi apparet, quæ excrementa in eodem fere pondere & quantitate rejicit, qua cibus aſſumptus fuit; cum tamen proprium ſuum & particulare alimentum inde extraxerit, quod aliud nihil fuit, quam ſpiritus ille in maſſa illa antea concluſus, qui ſolus per ſiccitatem ſuam ſe corporificat, & per humiditatem ſuam ſe dilatat & augmentat, proprio ſuo calore eo adductus & coactus.

CAPUT II.

De converſione hujus ſpiritus in terram, & quomodo in hac terra vis ejus integra manet.

PEr rationes adductas, ut ego quidem puto, ſatis probatum eſt, ſpiritum mundi corpus aſſumere, reſtat igitur ulterius decla-

declarandum, quomodo corporificetur. Quamvis autem in hac inquiſitione magnus ubique labor impenſus, ſed effectus fere nullus inſecutus fuerit, conabor tamen hujus rei demonſtrationem aggredi, & ſenſibus quaſi comprehenſibilem reddere, in eorum præſertim gratiam, qui, in nativitate ſua cœlum favorabile nacti, rariorum naturæ effectuum admiratores ſunt, & ſecretorum ejusdem ſacrarium intrare geſtiunt. Quod etenim multi homines docti & curioſi in hujus corporis inquiſitione & detectione enormiter fuerint decepti, ea potiſſimum cauſa extitit, quia aliqui crediderunt, cognitionem eam captum ſenſumque communem hominis longe excedere, atque adeo angelis & dæmonibus tantum perviam eſſe. Alii putarunt, quod cum ſpiritus mundi nominetur, nemo ſibi corpus aliud imaginari debeat, quam univerſale, quia ſpiritum generalem corpus etiam univerſale habere oporteat. Alii autem exiſtimarunt, eum non poſſe aliter percipi, quam per converſionem corporum perfectiorum in primum ſuum ſpiritum & ſperma, exacta nempe & laborioſa ſubtiliatione, non animadvertentes, in natura non dari regreſſum, & corpora, quo ſint perfectiora, eo longius à principiis ſuis & prima corporeitate abeſſe. Fuerunt etiam nonnulli opinati, ex corporibus extrahendam eſſe quintam eſſentiam, perſuadentes ſibi, partem ſubtiliorem & magis volatilem ſpiritum illum eſſe, quem quærunt, aberrantes

ita a scopo, ad quem collimabant, & orientem in occasu quærentes; corpora enim spiritualia reddebant, ubi spiritus corporeos facere debebant. Quia autem spiritus ille manifeste in corpus terrenum conversus videtur, & sine contradictione aut ullo dubio omnia corpora ab eo generata sunt, oportet igitur, ut ab iis ipsis extrahatur, quoniam alioquin recta naturæ semita periculose & longissime relinqueretur, & cum faciendum esset corpus terrenum, ex igne aliquod perficeretur, quod Quintessentiales cœlum suum appellant. Corporificationis vero initium in omnibus rebus a terra fit, est enim prima & proxima Mercurii operatio, ut terra fiat; cur igitur ab ignificatione incipere volunt? quod quidem ea ratione fieret, ac si quis ædificium erecturus a tecto initium faceret, & non a fundamento.

Illi tamen, qui corpora in primum germen reducere volunt, haberent ad suum propositum rationem magis speciosam præ cæteris, qui ea in quintam essentiam redigere desiderant, nisi in hoc processu viam ingrederentur tortuosam, atque ad locum oppositum & menti suæ contrarium eos conducentem. Præterquam enim quod natura nunquam regreditur, non animadvertunt, se completionis viam & non reversionis destructivæ sequi, sive, ut clarius dicam, quæ ad originem seu nativitatem reducit. Præterea enim quod hi labores plane sunt impossibiles, aut saltem

tem ita difficiles & longi, ut vita hominis ordinaria ad hosce absolvendos non sufficiat, veram certe & naturalem reductionem hac via nunquam nanciscerentur, sed corpus tantum phantasticum facerent longe remotum ab eo, cum quo natura omnes suas operationes productivas incipit, quod solum & legitimum sperma omnium corporum est. Si considerabimus, quod omnia per terrificationem corporificentur, necessario statuemus, dari subjectum præjacens, & ad terrificationem proxime aptum. Dixi autem a principio, ignem esse primum operatorem in mundo, qui vaporem spirituosum elevat, quem coquit & desiccat, ut corporifiat. Corporificatio enim absque coagulatione, ignis siccitatem necessario insequente, fieri non potest. In quo autem alio loco hæc immassatio, desiccatio aut coagulatio fit, quam in corpore terræ, unde omnia alia corpora proveniunt? Oportet igitur, ut præjacens materia illorum ibi occultetur; si enim non adesset, sequeretur ex nihilo ea facta esse, quod naturæ ordini repugnat, quæ vult, ut quælibet res suum habeat principium, & ex nihilo nihil enascatur. Hæc ergo materia sive principium corpori terræ alligatum est, ubi nutritur, inspissatur & corporefit. Et hac de causa illi, qui eam ex corporibus metallicis perfectis & imperfectis & simplicibus per attractionem quintæ essentiæ extrahere voluerunt, me-

lius fecissent, (cum primum sperma quærerent) ut matricem matris aperuissent, quam infantes ad perfectam ætatem jam evectos occidissent & destruxissent, dum in eum statum reducere voluerunt, in quo tempore conceptionis fuerunt. Si autem matricem hanc aperirent, quid invenirent ibi? nihil enim intus visui apparet, & multi *credentes*, istam viam maxime proficuam *esse*, decepti tamen fuerunt, sperantes, in ventre minerarum specimen saltem initii aurificationis sese inventuros, quod cum non fieret, desperarunt de proposito suo, quia dispositionem mediam inter metalli mollitiem & duritiem nullibi obviam habuerunt. Si igitur oculus observare nihil potest, quomodo *possibile* est, aliquid ibi invenire & accipere? Hoc opus, illud vero labor est. Tales certe investigatores non credent, materiam primam spiritum & vaporem esse tam *subtilem* & solutum, ut non nisi intellectu & imaginatione percipi possit. Attamen quia illa corpori hujus matris alligata est, & in illo habitat, ipsa ratio evincit, eam naturam quandam quasi corpoream & ad corporificationem aptam possidere. Quamvis autem antea satis aperte declaraverim, illis præsertim, qui subtili ingenio dotati sunt, quænam hæc natura sit, addam tamen hoc loco, spongiositatem terræ vapore illo spirituoso plenam esse, qui, beneficio caloris sui innati,

siccam

ſiccam acquirit qualitatem, humore quodam ſecreto comitatam, per quam condenſatur, & in corpus ſpecificum coagulatur. Et ſicut hæc natura humida exiccata primo aqua fuit, ita oportet illam per aquam in aquam reduci, quod unicum medium eſt ad res ſiccas in aquam redigendas, ſicut ignis eſt medium ad deſiccandas humidas. Opus ſane, quod natura exactisſime in metallorum generatione obſervat. Aqua enim, dum per poros terræ fluit, invenit ibi ſubſtantiam diſſolubilem, cum qua per partes illius ſimpliciſſimas unitur, & ad hanc unionem elementa debito modo proportionata conveniunt. Subſtantia igitur per ſuam diſſolutionem ita conjuncta de ſe ipſa congelatur & coagulatur per indurationem, quam naturaliter ratione ſuæ innatæ ſiccitatis in ſe habet, deinde per ſucceſſivam & longam decoctionem duritiem acquirit metallicam. Quia autem hæc ſubſtantia diſſolubilis eſt, de qua natura alia, quam de Sale participare poteſt? Nihil enim diſſolubile eſt, quam Sal, cujus etiam multitudo & varietas permagna eſt, prout in mundo ſumma eſt rerum varietas: imo quo magis comburitur, tanto facilius diſſolvitur, niſi forte ad vitrificationem devenerit. Prima igitur hæc materia Sal eſt, hoc eſt, Sal primum corpus eſt, per quod illa palpabilis & viſibilis apparet; de quo Sale *Raymundus* loquitur in ſuo *teſtamento*, cum ait:

Declaravimus superius; quod in centro terræ sit quæpiam terra virgo, & verum elementum, & quod hoc opus naturæ sit. Natura ergo locatur in centro cujusque rei. Ita Sal est hæc terra virgo, quæ nihil adhuc produxit, in quam spiritus mundi primo convertitur per vitrificationem, hoc est, per humoris extenuationem. Ipsum est, quod formam dat omnibus rebus, & nihil in sensum visus aut tactus absque Sale cadere potest, nihil coagulatur quam Sal, nihil quam Sal congelatur. Illud est, quod auro duritiem largitur & omnibus metallis, ut & adamanti & omnibus lapidibus, pretiosis æque ac vulgaribus, per potentem admodum, sed secretissimam vitrificantem virtutem. Et quod majus est, videmus manifeste, res omnes ex quatuor elementis compositas in Sal regredi. Si enim corpus aliquod putrefit, quid restat, nisi pulvis aut cinis Sal pretiosum occultans? & si corpus quoddam per combustionem, calcinationem aut incinerationem destruitur, quid in ultima extractione restat, quam Sal? Vitri conflatores hujus rei exhibebunt testimonium. Unde *Arnoldus de villa nova* Medicus & Philosophus magnus *in novo suo lumine Chemico* loquens de aqua permanente Sapientum, quæ aqua sicca est, manus non madefaciens, haud magis quam argentum vivum vulgare, dicit: *Quis igitur erit, qui aquam hanc præparare possit? dico certe, quod ille erit, qui vitrum facien-*

faciendum cunt. Idem autor, de aquæ hujus siccæ excellentia dicens, satis clare illam manifestavit, quando ait in tractatu Chemico, quem *Breviarium Philosophicum* vocat: *Operator plus nihil efficiet sine Sale, quam balistarius sagittam mittet sine chorda;* & *Fons amantium* dicit idem:

Sans selje ne puis mettre en effet
Vtile chose pour ton fait.

Hoc est:

Officium præstare tuis quoddam utile rebus
Vtique non possum, deficiente Sale.

Ex Sale igitur omnia corpora primo composita sunt, atque ut in præcedenti capite dixi, principia compositionis & resolutionis æqualia sunt. Et ut volunt omnes Philosophi, & pro regula tenent infallibili, prima rerum materia non est alia, quam ultima, h.e. ea, in quam ultimo resolvuntur, ubi glaciem & nivem pro exemplo allegant, quæ in aquam per calorem resolvuntur, ex qua per congelationem facta erant. Et si omnia testimonia bonorum autorum hic alligare vellem, justum inde oriretur volumen. Ut vero monstrem, hoc Sal puram & veram terram esse, (non quidem illam, quam pedibus calcamus, quam nihil aliud esse probabo, quam fæces & excrementum alterius,) recurrere me oportet ad primam rerum creationem, quam per exemplum operationis familiaris figura-

bo, quæ ad imitationem naturæ, & per eundem modum & regulam fit, qua magnum hoc universum factum est. Dixi antea, quod rerum principium aqua fuerit, sive natura humida, ut *Hermes* dicit, super quam, etiam secundum *Moysen*, Spiritus Domini ferebatur. Posset autem quæri, quomodo magna illa & confusa aquarum congregatio divisa fuerit, ita ut ampla hæc & grossa massa terrestris inde provenerit, & quo medio tam diversæ res ex terræ productæ sint? Respondebo ad has quæstiones illud, quod sola experientia conspiciendum mihi præbuit & dicam, naturaliter probabile esse, quod in medio harum aquarum, per modum separationis quasi sedimenti alicujus congregatio facta fuerit, ubi textum Moysis sequor, qui dicit, quod Deus separaverit aquas ab aquis, duplex enim est aquarum genus, nempe aqua elevativa & aqua congelativa. Prima igitur per evaporationem sese elevans secundam in fundo fixam reliquit, ut quotidie experiuntur Salis coctores tam marini, quam fontani. Verum quidem est, unam fieri forti attractione radiorum Solarium, alteram autem per ignis violentem expulsionem. Ignis autem solus, sive calor solus inter omnes res mundanas hanc virtutem separativam possidet, & quidem per unum aut alterum modum nempe naturalem aut violentum. Accidit igitur per unum aut alterum horum modorum,

quod

quod separatio ista facta est. Sed cui rei *Moyses* potuisset hunc ignem melius comparare, quam Spiritui divino, qui aliter definiri non potest, quam origo universalis luminis, caloris animantis & vitalis motus, per quem omnes res existunt, & in suo esse conservantur? Consideremus Sal naturæ, dum in limbo aut suo chao adhuc latet, h. e. diffusum, dissolutum & in aqua sua quasi suffocatum, in qua forma apparebit visui nostro, & quam qualitatem tribuet illi gustus & tactus noster aliam, quam aquæ amaræ? qualem quidem formam & qualitatem in æternum conservaret, si separatio non interveniret. Verum statim atque aqua hæc elevativa actionem ignis sentit, qui illi adversatur, incipit separatio per evaporationem fieri, & pedetentim diminuitur, donec in centro globi sui parva massa Salis appareat, quæ coit eo modo, ut corpus terræ in primo limbo aquarum universalium faciebat. En primam operationem ab igne factam, nempe producere aridam, h. e. terram. Sed tamen quemadmodum hæc prima terra cum suis excrementis & fæcibus per ignem coagulata manebat, ita hoc Sal, quod vere terra est, suas fæces etiam retinet, licet mundum & purum videatur, atque albedine & luce plenum. Nihil enim generatur, alimentatur & crescit, quod excrementa sua non abjiciat, de quorum formatione & separatione suo loco plura dicam.

Hoc autem Sal, aut hæc terra arida coagulata, & in aqua subsidens, rebibit totam suam humiditatem, & per ignis continuationem sponte siccatur, humiditatem nihilominus internam suam conservans, a qua nunquam deseritur, & a qua virtutem illam dissolutivam possidet: postea, temperamento inter humidum & siccum illi accedente, apta fit & manet ad rerum productionem, a potentia nempe ad effectum caloris actione compulsa. Et plane sicut corpus magnæ terræ hanc virtutem productivam & specificam individuorum habet, ita nostrum hoc, quod Sal vocamus, eandem in se continet. Non equidem, ut producat herbas, metalla aut animalia, quemadmodum alterum facit, sed quod semen originale omnium rerum in sinu suo servet, prout experientia per ignis operationes in iis nobis manifestat, colores, sapores, incrementa, vegetationes & indurationes omnium, quæ in unoquoque horum trium generum conspiciuntur, & non solum hæc, sed & proprium ignem, quem Sol introduxit, per quem omnes res vivificat & nutrit. Quod quidem ipse aliquando in *processu operis cujusdam Philosophici* observavi, *dum in hac sola materia omnes colores distincte, & unus post alium, secundum ordinem & intervalla per magistros hujus artis determinata, mihi apparuerunt, prout in materia & lapidis sui confectione fieri debere Philosophi indicant, una cum fusione repenti-*

na,

na, postquam ad summam rubedinem papaveris sylvestris devenerat: Veruntamen miraculosum & tamdiu desideratum illum effectum in metallorum transmutatione non produxit, sed in corporibus humanis per sudores universales & naturales tam mirabiles exeruit vires, ut efferre & publicare eas vix audeam, ne titulum Medicastri Charlatani forsan incurram. Quanquam C.V. Serenissimus Princeps ab hac injuria eximere me facile potest, tanquam testis irreprehensibilis. Cum enim fama harum miraculosarum curarum ad aures C.V. pervenisset, dignata fuit instar Jovis gratiosi habitationem pauperis sui Philemonis ingredi, inducta, ut opinor, animi quadam generositate, & relatione boni cujusdam viri, qui diversis doloribus miserrime afflictus, & diuturnitate gravissimi morbi adeo extenuatus fuerat, ut præter spem in divina bonitate aut saltem in mortis impendentis grato solatio nihil haberet reliqui: cujus vera relatio apud C.V. tantum effecit, ut solennem informationem de multorum hominum curis postulaverit, quos eodem remedio sanitati restitueram. Et si avaritia aut invidia ejus hominis, cui concredita fuerat sanitas Reverendissimi Cardinalis & Domini fratris V.C. dilectissimi P.M. non prohibuisset usum hujus medicamenti, puto equidem a Deo ter O.M. gratiam & benedictionem Eminentiæ Ejus non fuisse dene-

nega-

negatam, quam tot miſeris hominibus abunde contulerat.

Si igitur hoc Sal omnes terræ qualitates habet, quis obtinere vellet, illud non eſſe terram, & per conſequens ſpiritum univerſalem terrificatum dici non debere, prout *Hermes* illud deſcribit? Aſſero autem, converſionem hanc fieri non poſſe, niſi per artificium facilioris quidem Practicæ, difficillimæ autem perquiſitionis. Eſt enim, ſine mendacio, actus, qui humanas cogitationes ſuperat, exhibere nempe oculis videndam & manibus tangendam primam iſtam materiam, quam tot viri doctrina in omnibus ſeculis famoſisſimi inviſibilem & incomprehenſibilem eſſe putarunt, imo etiam affirmarunt; per profundam nimirum theoriam de rei hujus excellentia bene diſcurrere laborantes, non autem, ut per effectus eam inquirerent & cognoſcerent. Et certe inter tot curioſos viros, cum quibus per annos 40. converſatus ſum familiariter, & ex quo tempore hujus materiæ cognitionem aliquam habui, ne ſex quidem inveni, qui illam noviſſent.

Poſtquam igitur ſufficienter declaravi, quomodo hoc Sal in terram verſum ſit, quæ eſt vera operatio operationum, reſtat adhuc demonſtrandum, quod poſt converſionem virtus ejus integra maneat. Antequam tamen progrediar, conveniens & rationi conſentaneum eſt, paucis referre, qua vi & virtute ſpiritus

ritus aut Sal illud prius dotatum fuerit, ut in eodem in terram verſo easdem virtutes quæramus & inveniamus. Dicam igitur in confirmationem mei propoſiti, dubium non eſſe, nec ulla probatione indigere, quod cœli in continuo motu ſint, neceſſario ad finem aliquem tendente. Quamvis enim naturaliter dici poſſit, finem ejus, quod movetur, eſſe, ire de loco ad locum, motus tamen propter aliam cauſam fit, & intentio motus non ſolum eſt, de loco ad locum moveri, ſed moveri ad obtinendum effectum alterius cujusdam finis. Duo enim fines ſunt, unus a Philoſophis dictus finis, propter quem res fit, ſicut finis generationis Platonis eſt anima Platonis, & finis, propter quem Plato virtutibus ſtuduit, eſt beatitudo. Alter finis eſt ille, ad quem res præcedentis finis cauſa tendunt, ſicut finis conjunctionis maſculi & fœminæ eſt generatio, ſed finis, propter quem generatio fit, eſt homo ſive animal, Ita finis, propter quem Plato ex Græcia in Ægyptum proficiſcebatur, erat, ut ſapientiam diſceret, finis autem profectionis Ægyptus erat, quam adire conſtituerat. Finis igitur motus cœlorum non eſt tantum, moveri de loco ad locum, ſed ut eorum virtus in corpora inferiora influat. Si enim ſibi quiſpiam influentias inutiliter fieri imaginaretur, & in loca extendi, ubi nihil eas recipere poſſet, error eſſet nimis craſſus. Hic autem virtutum cœleſtium

influxus

influxus perpetuus & continuus est, quia motus, per quem descendit, orbicularis est, semper a se incipiens & in se rediens. Et hæc est ratio, cur res, quibus influit, & quod inde prodit, ejusdem naturæ & qualitatis sint, utpote indesinenter recipientes potentiam & multiplicationem harum virtutum, quæ nunquam deficiunt. Et quia influentia hæc non extenditur supra cœlos, ubi, ut dixi, nihil est, sequitur necessario, in rem aliquam inferiorem & corpoream fieri debere, in quam agere possit. Nihil enim patitur, quam quod corpus habet: quodnam autem corpus naturale aliud in mundo est, quam terra? nonne hæc est corpus corporum & sola, quæ de seipsa subsistere potest, habens nimirum omnes qualitates in corpore requisitas, longitudinem, latitudinem, profunditatem & superficiem? nonne subjectum aut præfixus naturæ scopus est, in quo continue illa occupatur, ut corporificet & animet? ubi posset illa opera sua complere melius, quam in corpore terræ? Terra igitur solum illud corpus inferius est, quod recipit cœlestes influentias, quarum virtutes & potentiæ sunt penetrare, calefacere, purgare, separare, vivificare, augmentare, conservare & restaurare. Non opus jam est disputare, an astra & cœli corpore suo in terræ corpus influant, experientia enim, etiam sensuum testimonio, omnem hanc dubitationem tollit. Hoc igitur tanquam

quam notum relinquens deducere solum conabor, quomodo illa influentias suas virtuosas perficiant. Dixi antea, eas directe deorsum tendere, & non sursum. Et quia inferius corporis alicujus sphærici centrum ejus est, oportet igitur, ut in terram defluant, & in illa sola apicibus suis quasi insigantur. Terra enim verum centrum universi est, & punctum vasti hujus orbis, ad quod omnes horum influxuum lineæ collimant. Quia autem terra corpus solidum est, & omnium aliorum corporum soliditas ab illa provenit, necessario igitur requiritur virtus subtilissima, quæ illam per partes minimas penetrare possit. Cœli igitur, qui subtilissimam habent materiam, similes sibi virtutes producunt, operationes enim ordinarie qualitates corporis sequuntur, quod eas producit. Hæc autem penetratio nihil prodesset, & instar torrentis sese haberet, campum quidem percurrentis, sed ob cursus celeritatem superficiem non humectantis, nisi aliquandiu sistatur. Sed cum infallibiliter ad centrum usque vergat, & ulterius tendere nequeat, quia locum inferiorem non invenit, ad quem descendat, cogitur ibi subsistere & sese congregare. Hinc dixerunt quidam, fundum terræ pretiosissimum esse, quod omnes virtutes cœlestes ibi coëant & uniantur: quæ ibidem unitæ & coactæ infinitam habent potentiam, nonsolum quod continue affluant, quam quia a corpori-

bus

bus in virtute infinitis, incorruptibilibus, & indeficientibus oriuntur. Antiqui Poëtæ, qui fabulis involutos suos conceptus nobis de hisce rebus occultis reliquerunt, mundum in tres partes dividentes, Jovi, tanquam primo Saturni filio, cœlum assignarunt, (quanquam alii jus primogenituræ Neptuno tribuerint, electionem autem regni superioris Jovi; ob rationes quasdam sophisticas, proposito meo non necessarias,) Neptunum autem maris Dominum fecerunt, & quidem per sortem; Plutoni tanquam natu minori terræ hæreditatem assignarunt, qui tamen trium fratrum ditissimus fuit habitus, quod in ejus dominio omnes mundi thesauri continue nascantur; imo duos suos fratres tributarios sibi fecisse videatur in iis, quæ maxime exquisita possident. Inferni regem illum nominarunt, & Elisios campos, tanquam locum delitiosum, illi tribuerunt, ubi felices homines post mortem aulam ejus sectentur. Theologi etiam asserunt, in hoc eodem loco infernum esse, & animarum torturam, persuasi eo argumento, quod, cum verum sit omnium astrorum, natura sua igneorum, influentias ibi concurrere, ardorem etiam incredibilem adesse oporteat. Locus quidem iste absque dubio infernalis appellari potest, quia nihil illo inferius est: animas autem hoc igne torqueri, & ardorem ejus tantum esse vel esse posse, prout illi dicunt, a ratione longius recedere videtur, &

a veris

a veris Philoſophiæ axiomatibus. Præterquam enim quod animæ locum non occupent, juxta ipſorum confeſſionem, & poſtquam corporum ſuorum onus & carcerem depoſuerunt, natura earum ſit, ſurſum tendere & evolare, propter ſpiritualem ſuam levitatem, quæ plus de qualitatibus igneis, quam de omnibus aliis participat, non poſſent etiam niſi cum violentia, nec in hoc loco ſubterraneo, cum leves ſint, ſubmergi, nec utpote ſimplices, actionem ignis pati, qui ſuper ſuum ſimile non habet imperium. Quare igitur ſtatuunt, eas ad hæc loca deſcendere, ut ibi crucientur? niſi forſan grave peccatorum onus, quo implicantur, naturam illarum deprimens in loca inferiora eas detrudat, & ad terræ centrum deſcendere cogat: aut illud ipſum peccatum ſub dominium ſuum eas redegerit, & cum illis quaſi incorporatum, compoſitionem, neſcio qualem, conſtituat, quæ paſſibiles eas reddat, & actioni, non quidem ſimplici & naturali hujus ignis, ſed alterius forte violentiæ a Deo ad hunc effectum creati & deſtinati, ſubjectas, & forſitan hujus ignis, de quo loquimur, actione, nempe ejus ſecreta & divina virtute duplicata, quod quidem valde probabile eſt, & SS. Scripturæ autoritate comprobari videtur. Nolo tamen particularem opinionem temere fovere, aut a fide orthodoxa me ſegregare, cujus bono diu nunc vitam & parvam a Deo

mihi concessam industriam consecravi. *Dico* nihilominus, quasi in transitu, (ne longius a primo meo discursu recedam,) male concludi, quod cum in hoc loco omnes astrorum influentiæ concurrant, extremus ibidem ardor oriatur, quod quidem libenter concederem, si ignis astrorum talis esset ac vulgaris, destruens & consumens, non vivificans, conservans, & nutriens: si enim talis esset, ut vulgo creditur, non solum terra, sed & totum universum diu jam consumptum esset. Istæ quidem influentiæ vere calefiunt in antiqui *Demogorgonis* sinu, verum ex calore vitali, & non mortali aut destruente, qui virtutem ibi uniformem plantat, mediante calore illo per totum corpus terræ sese dilatantem, cum sit generationum prima causa motrix. Nec cogitandum est, calorem externum, a Sole provenientem, solum terram calefacere & generationem causare; videmus enim hyberno tempore, quando Sol longissime a nobis abest, eam plus caloris in sese habere, quam sub maximo æstatis ardore, prout experientia ex fontibus, cisternis & cellis profundis nos docet: ita ut tempore intensissimi frigoris hyberni metalla coqui & indurari non cessent, imo credibile sit eorum maximam immassationem tunc fieri, quia calor centralis reprimitur, & in terra retinetur, propter aëris & aquæ frigus, quod eam circumdat. Sol etiam Vere regressus & magis perpendicu-

laris

laris nobis factus non est vegetationis rerum causa principalis. Si enim hæc ab illo solo dependeret, dubium non esset, quin vegetationes, quo sublimior ille evaderet, proportionaliter ex crescente calore augmentarentur, cum tamen contrarium plane observetur. Sed quia simile libenter suum simile attrahit, & uno recedente alterum etiam recedit, Sol radiorum suorum magnetica virtute calorem Solis centralis, ad interiora terræ frigoris asperrimi rigore detrusum & compressum, attrahit & revocat, qui, ad superficiem ascendens, rebus omnibus vegetativam virtutem reddit. Non igitur externus Solis cœlestis calor est, qui profundum terræ calefacit, sed potius Solis terrestris innatus calor; duplex enim est calor, unus reverberationis, qui externus est, alter influxionis & penetrationis, qui internus est, de quo jam loquor, cujus natura est vivificare, augmentare, conservare per sustentaculum radicalis humoris in hoc igne contenti, cujus mentionem in præcedenti capite feci. Atque ut magis stabiliatur, hunc centralem ignem extreme intensum non esse, aut ad tormenta & combustionem aptum, videmus omnia astra influxibus suis non vergere ad calorem, eorumque solam naturam non esse, ut calefaciant. Saturnus enim frigidus & siccus est, Jupiter calidus & humidus, Mars calidus & siccus, Sol calidus & siccus, Venus frigida & humida, Luna hu-

mida & frigida, Mercurius autem naturam omnium habet, & cunctis varie accommodatur. Facile igitur judicari potest, omnes influentias temperatum calorem ex quatuor qualitatibus generare, quæ sunt calor, siccitas, frigus & humiditas: quibus convenientibus, necessarium est locum, in quo conveniunt, eas cum sua temperatura in se continere. Vapor igitur ille aut spiritus, ex centro egrediens, participat de hisce quatuor, & hinc omnes qualitates simplicium originem sumunt, quorum aliqua calefaciunt, quia calor in illis dominatur, alia siccant, quia siccitas superabundat, alia humectant & refrigerant, secundum copiam aut inopiam frigoris & humiditatis in illis existentem. Ex altera parte Astra in centrum plures adhuc alias naturas aut qualitates, quam hasce projiciunt, dant enim originem suam saporibus, coloribus & odoribus, quales in omnibus rebus gustamus, videmus aut tangimus. Dico igitur, astra terram in centro suo calefacere, & consequenter spiritum originalem, ibi habitantem, participare de illo calore. Et quia naturalis potentia caloris est separare, cum eadem etiam influxione descendere hanc virtutem separativam, quæ purum ab impuro segregat, subtile a grosso, leve a gravi, & dulce ab amaro. Qualis separatio, quæ purgativa dici potest, causa est, quod omnes res naturaliter & de seipsa excrementa, quæ non sunt de substan-

tia sua specifica, rejiciat; quod equidem maxime necessarium est, nihil enim in mundo existit, in quo excrementa substantiam naturalem non excedant; & omne, quod videmus & tangimus, nihil aliud est, quam excrementum substantiam occultam obumbrans. Quod clare in cibis, quibus vescimur, animadvertere possumus, quorum massa non convertitur aut transsubstantiatur in nostram carnem, sed per loca huic negotio destinata evacuatur: natura vero ex illa succum invisibilem & spiritualem tantum attrahit, aptum, ut in carnem & substantiam nostram congeletur. Possumus similiter dicere, quod massa hæc terrestris, quam pedibus calcamus, nihil aliud sit, quam excrementum primæ substantiæ, in limbo chaotico unitæ, circumquaque centro circumfusum, & æquali proportione concretum, unde sphærica hæc rotunditas provenit cum æquilibri substantia, quæ facit, ne moveri aut cadere possit. Cum enim jam locum infimum possideat, nunquam ulterius aut alio tendere posset, nisi ut iterum ascenderet, quocunque latere hoc fieret, quod naturæ ejus plane repugnaret. Videmus lineas a qualibet parte superficiei circuli ad centrum, (nimirum ad punctum suum cadentes,) alio non posse abstrahi, nisi ascendant rursus ad locum, unde descenderunt. Interim non dico, terræ corpus aliud nihil esse, quam excrementum. Licet

enim tota excrementitia appareat, latet tamen ſub ejus excrementis ſubſtantia pura, quæ tota ſpiritualis cum ſit, absque corporis alicujus adminiſtratione ſubſtantialis fieri nequit, prout in omnibus rebus productis cernimus, quarum ſemen & prima materia inviſibilis eſt; & tamen maſſa quadam corporali ipſi congenita portatur & continetur, quia ſine excremento nihil corporificatur. Qua de cauſa ſubſtantia hæc in rerum generationibus a corpore terræ per operationem caloris influxi ſeparata eſt, nihil de illa terra accipiens aut retinens, ſed pro ſuſtentaculo tantum ſuo illam adſciſcens. Quæ etiam ab initio mundi uſum non habuit illum, niſi ut receptaculum & officina influentiarum cœleſtium, ſive ut melius dicam, vas quoddam eſſet, ubi materia hæc ſpiritualis operationes ſuas abſolveret, ut infra ſequenti capite clarius & evidenti demonſtratione ea de re tractabitur, ubi de ſeparatione largius agam. Veruntamen parum procul dubio ſeparatio prodeſſet, ſi poſt eam res ſeparatæ inutiles & ſine actione manerent. Naturæ ſcopus, ad quem tendit, eſt, ut in ſeparatione vivificet, & mortem evitet, quæ non aliunde, quam ab excrementorum abundantia, puram & naturalem ſubſtantiam ſuffocante, provenit; intelligo autem mortem naturalem, non vero violentam aut coactam. Quod ſi rerum ſemina in hac excrementitia terra ſemper ſepulta manerent, nihil

certe in lucem prodiret, aut vitæ benefici- reciperet: ast cœlestis virtus vitali sua in- ntia extrahit illa, tanquam spiritum pri- vum, & hic virtute illa plenus promovet latat ea in omnes species, & unamquam- harum, prout natura & compositio ea- requirit. Vivificatio igitur a purifica- e provenit, quam astra influxu suo effici- cum quo simul virtus augmentativa & re- ativa descendit. Quia enim in continuo u sunt, continua quoque influxionum one occupantur, & per consequens perpe- tiam vivificatione, vitam vitæ indesinen- ddendo; ubi fieri non potest, quin entatio una cum conservatione & re- atione insequatur, & una quidem per in- iens vitæ sustentaculum, altera autem infinitam restitutionem ejus, quod in spe- rum generationes impenditur & consumi- prout idipsum manifeste in hac prima ma- corporificata apparet, quæ impraegnatio- œlesti gravida facta, ex seipsa viva qua- m & inexhausta alimenti & augmenti sca- gine nutritur, crescit & multiplicatur.

Et hac de causa nominatur Draco aut Ser- ns in seipsum sæviens, vegetabilium instar per renascens & germinans; ubicunque am sit, ita quidem, ut si quodam in loco se- el irradicetur, nunquam ibi futura sit ejus inopia, quantumcunque etiam lavetur aut comburatur, quod quidem evidens & certum

signum est, ex quo hæc prima materia rite cognosci potest. Hæ igitur sunt principales virtutes, quas spiritus ille universalis a mundi initio ab influentiis cœlestibus recepit, & ad finem usque recipiet, semper per effectus mirabiles in omnibus membris magni hujus corporis universalis producens & producturus. Sed quæri posset, cur hæc prima materia, quam tam puras & potentes influentias a cœlo recepisse dixi, tot vitiosis qualitatibus ordinarie conspurcata sit, & quomodo illas receptas retineat, cum tamen indesinenter separationis, vivificationis, augmentationis, conservationis & restaurationis actionibus incumbat? Si enim non separat, necessario mortificabit; & si non augmentat, conservat & restaurat, oportet ut diminuat, destruat & debilitet, quod tamen, ut vere dicam, nunquam facit. Ad quod respondeo, astra duplicem habere influentiam, unam naturalem, & alteram accidentalem. Naturalis illis innata & in prima creatione communicata fuit, & est gubernatio illa universi, de qua Hermes in Pœmandro loquitur, per quam illud in suo esse conservant, defendendo & conservando idem per virtutes suas a destructione, interitu & annihilatione virtutum influentiæ hujus, quibus spiritus universi, ut videmus, continue dotatus & provisus est, qui eas applicat, & in omnibus rebus, quibus incrementum & subsistentiam communicat, spectandas exhibet. Ac-

ciden-

cidentalis vero astrorum influentia illa est, quæ præter naturam illis per diversitates situationum & aspectuum accidit: & hæc omni momento mutationi subjecta est, ita, ut nunquam æqualis maneat, atque hæc in effectus tantum materiæ potentiam habet, & non in materiam ipsam. Quæcunque enim, etiam maligna, influentia incidat, videmus tamen, terram in suo centro non intermittere suas operationes, ut convenienter eas absolvat, & continue animalia, vegetabilia & mineralia producat. Quod si interdum mortificationes accidant, illud tantum a malitia aspectus oritur, qui non nisi superficiem corporum tangit, h. e. massam excrementitiam, & non substantiam interiorem, quæ res ipsa est. Et certe hoc accidens mutatur, ita ut hæc influxio interdum unam rem, interdum autem aliam plane contrariam, operetur, quod naturalis & principalis nunquam facit, quæ in puncto suo fixa & permanens manet. Inde conclusio desumi debet, quod materia prima, tanquam simplex, de se non recipit, nisi virtutes cœlestes, quas etiam in terrificatione sua adhuc retinet & conservat. Declarandum vero est, quomodo illas retineat, ut *Hermetis* illud probari possit, *quod vis ejus integra maneat, cum in terram conversa fuerit*, quia nempe omnes virtutes cœlestes descendunt & in terræ centro conveniunt, & cursus earum non tendit, nisi ad informationem materiæ, quæ est instar receptaculi su-

premarum idearum. Eadem ista materia formarum plena existens, non quidem actu sed potentia, per innumerabiles specificationes diversificatur, atque ita proprie non est corpus, sed quasi corpus & continuus corporis comes, qualem informationis desiderio semper appetit, & ad quam sine intermissione tendit & movetur. Et hic quidem motus actione ignis cœlestis illi accidit, quem antea primum motorem in chao esse dixi. Quod prisci Poëtæ, *Orpheus* & *Hesiodus*, sub nomine *Amoris* descripserunt, *Ronsardus* autem, Gallicus Homerus aut Pindarus, vix imitando carmine ita cecinit:

Ie suis Amour, le grand maitre des Dieux,
Ie suis celuy, qui fait mouvoir les Cieux,
Ie suis celuy, qui gouverne le monde;
Qui le premier hors de la massa èclos,
Donnois lumiere & fendois le cahos,
Dont fut bati cette machine ronde.

Quod Latine ita reddi potest:

Ex vulgo rudior si quis me nosse negaret,
Amor *quod almus sim sciat.*
Imperium cujus veneratur Iupiter, & cui
Dii Deæque subjacent.
Is sum, qui moveo cœlos, rutiloque capistro
Stellas & astra dirigo.
Is sum, qui moderor magnæ telluris habenas,
Et quicquid orbis continet.

Primus

Primus ego, massa tenebrosa exclusus, in auras
Lumen coruscum detuli,
Imo ego divisi vastum Chaos, unde creata est
Mundi rotunda machina.

Cum igitur hæc materia ex sua propria natura & desiderio ad suam corporificationem vergat, quis rationabiliter dicere poterit eam, dum corporificationem assumit, a natura virtutibus ipsis corporificationem causantibus privari & exui? & quia, dum corpus accipit, in terram primo & proxime convertitur, quis terram hanc iisdem virtutibus dotatam esse negabit? licet enim ratione commixtionis & concursus elementaris impuritates quasdam habeat, in profundo tamen sui semper pura est, ita ut post ejus purificationem etiam ignis, (potentissimum alioquin & magis activum omnium elementorum,) in illam nullam amplius habeat potentiam destructivam, quia hunc in perfectione & subtilitate vincit. Inde tam subito corpora penetrat, vivificans ea & augmentans in virtute, restaurans & conservans in illis, quod de sua natura est, nempe humidum radicale, quod subtilitate sua ignea ab excrementis connatis, illudque suffocantibus purgat & separat: ut uno verbo dicam, est illa ipsa excellentissima medicina, quam *Siracides* (a) *ex terra extractam esse* dicit, *& quod homo prudens eam non aspernabitur.* Est insuper *Sal*

(a) *Cap. 38. v. 4.*

Sal illud pretiosum, cui magnus ille *Doctor Doctorum* (b) *Apostolos suos comparabat, tanquam thesauro exquisitissimo a cœlis producto.* Potuisset enim æque dicere, Vos estis adamantes, rubini, perlæ, aurum & argentum terræ, nisi scivisset omnes hasce res, quanquam admirabiles, nihil in se continere, quod cum Sale hoc generali conferri possit, cui soli gloriosæ suæ perfectionis homagium debent. Medicina hæc instar ignis operatur consumendo impurum, quod a puro per disgregationem partium heterogenearum, & adoptionem homogenearum separat. Quia igitur cœlum virginem hanc in utero terræ generavit, optime jure parentum suorum virtutes connatas retinuit. Et sicut infans, qui naturaliter de patris & matris humoribus, per commixtionem seminum ipsorum, participat, ab antiquis sapientibus vocabulo, ex amborum progenitorum nomine proprio composito, appellatus fuit Androgynus, quem Poëtæ Hermaphroditum vocarunt, quia nec masculus nec fæmella dici potuit, utpote, nec hoc, nec illo sexu aliquem generandi effectum habens, ita conveniens est, ut huic virgini nomen uranogææ, aut cœli terrificati, tribuatur, quia licet terra existat, virtutes tamen cœlorum continet, & indissolubili vinculo connexas sibi habet, quarum admirabiles operationes videndas exhibet. Qua de re in præcedentibus sufficientem declara-

(b) *Matth. V, 13.*

clarationem iis feci, qui, nobilis ingenii sui lumine freti, horridas nigræ sylvæ spissitudines perrumpere satagunt, vel, ut *Virgilius* ait, *quibus obscurum terræ Chaos feliciter ingredi cælitus conceditur.*

CAPUT III.

De separatione ignis a terra, subtilis a spisso, & qua industria fieri debeat.

NATURA sagacissima operatrix per suas proprias operationes docet nos, quod in omnibus rebus finis considerandus sit, ad quem pervenire contendimus, & postea, unde operationes nostras incipere debemus. Prudens igitur secretorum naturalium inquisitor veram cognitionem habere debet principiorum, progressus & qualitatum materiæ, tam internarum quam externarum, ne finem cum principio confundat, si excellens quoddam opus perficere constituit, aut per regimina phantastica & calles incognitos a via regia, quam natura a primis mundi fundamentis tenuit, abstrahatur. Divino *Hermeti* optime cognita fuit hæc via, propter scientiam perfectam, quam de constitutione universi habuit. Cupiens igitur per artem sequi vestigia naturæ, prudentissime sibi imaginatus est, quod terra omnium rerum principium sit, & prima creatura, quæ per separatio-

rationem in ventre Chaos creata fuit. Qua de causa tam discrete arcanorum naturalium sacrarium per terrificationem materiæ hujus primæ ingressus est, quam antea in matrice terræ nutriri dixi. Sicut autem Architecto non sufficit, habere materialia ad construendum ædificium, nisi simul modum ædificandi & scientiam habeat, eadem ad opus suum adaptandi, ita etiam *Hermes*, non contentus materiam convenientem agnovisse, diligenter inquisivit & didicit modum, quo opus suum ad imitationem summi Physici in creatione mundi ad finem propositum deducere posset, formans nempe ex illa parvum mundum, cui omnis majoris mundi virtutes inclusit, utpote ex quo & ad cujus formam illum formaverat. Considerans igitur illud, quod faciendum sibi proposuerat, rem esse perfectissimam, & quod à rebus inferioribus & adhuc grossis incipere oporteat ad obtinendam hanc perfectionem, videlicet a separatione partium superfluarum & operi inutilium, ad evitandam ejusdem ruinam primo naturas contrarias dividere voluit. Ubi vere dici potest, quod, secundum adagium, avem per pedes ceperit, atque ita per veram portam, directe ad sacrarium secretorum naturæ conducentem, introiverit. Separatio enim initium est omnium rerum, & prima operatio corporis universalis confusa membra segregans. Per divisionem difformis massæ chaoticæ primo ordo & forma ele-

mento-

mentorum clarefieri & in ordinem redigi cœpit. Nam absque hac separatione dies & nox, Sol & Luna, hyems & æstas ad hoc usque tempus una res essent, metalla & mineralia tam diversa uno continerentur corpore, & omnia vegetabilia uno semine. Necessarium igitur erat, ut natura ordinem illum pulcherrimum & distinctionem, qua universum hoc adeo condecorari cernimus, per opus separationis inciperet. Verum ut ad particularia descendamus, consideremus, quomodo docta hæc operatrix omnes suos labores hinc inchoët. Generationes nec initium nec finem capiunt, nisi per separationem; per separationem alimenta omne corpus augent & conservant. Et si hujus argumenti probationem per singulas species latius deducere vellem, procul dubio me confusione ipsius chaos intricarem, unde propter infinita exempla exitus nunquam mihi pateret.

Ponam igitur hoc primum fundamentum, Naturam omnes suas actiones a separatione incipere. Quia vero illud novisse non sufficit, si nescimus, quas res separet, & unde illa vis separativa proveniat, oportet hanc materiam paulo exactius discutere, ut discursus meus regulariter & ordinate procedat. Prius tamen quam dispositionem illam aggrediar, consultum puto, definitionem quandam separationis proponere, & quot ejus sint species declarare. Separatio igitur in genere nihil aliud est, quam

quam divisio & distinctio rerum dissimilium, sicut cœli a terra, Solis & Lunæ, & aliarum rerum antea dictarum, ut & puri ab impuro, caloris a frigore, sicci ab humido. Ex hac autem definitione duas species separationis adducam, quarum prima erit rerum simpliciter differentium & non contrariarum, ut partium mundi, quæ à primo Chao separatæ fuerunt; vel ut ad particularia accedamus, sicut *ligni* a cortice, foliorum à fructibus, radicum a ramis. Hæc autem species simpliciter dicetur distinctio, quia revera hæ partes non sunt divisæ, nec una ab altera separatæ, sive membra principalia mundi consideremus, sive particularia. Quanquam enim terra & cœlum separata videantur ratione situationis, nempe superioritatis aut inferioritatis, non tamen ab invicem divisa sunt, cum inter ea perpetua sit connexio & cognatio, sicut ex multis locis hujus libri colligi potest. Unde *Homerus*, non minus in Philosophia quam in Poësi admirabilis, dixit, terram cœlo catena aurea alligatam esse. Veruntamen ut exemplum antea dictum retineam, folia & fructus, lignum & cortex, rami & radices non sunt separata & divisa, sicut contraria, sed distincta tantum & horum quodlibet in suo loco & ornatu; habent interim certam quandam affinitatem & colligamentum mutuum, ita quidem, ut unum alterius locum non occupet, sed inter

se

se consentiant, sese juvent, & unum alterum supportet.

Secunda species separationis est solutio aut distractio rerum totaliter dissentientium, contrariarum & superfluarum, quæ connexionem nullam habent naturæ cum substantia rerum, sicut puri & impuri, frigidi & calidi, grossi & subtilis, & similium rerum. Non quod velim dicere, has res non posse simul stare, sed quod earum unio & mixtio propter suam diversitatem causet destructionem, vel saltem actionem virtutis naturalis, puræ substantiæ innatæ, impediat. Et hæc species separationis proprie divisio vel decisio dici debet, qua natura in omnibus suis productionibus utitur, ut proprias actiones & virtutes cujuscunque rei liberas reddat. Prima igitur est tantum distinctio partium in situ & figura vere dissimilium, in virtute tamen & substantia, homogenearum. Certum enim est, quod lignum, cortex, & omne id, quod in arbore est, de virtute innata participet, quæ illi proprie particularis est, generalis autem omnibus ejus partibus. Quod autem subalternas alias attinet, potest ibi esse dissimilitudo, ut nimirum plus vel minus de substantiis recipiant, sed non de contrariis. Unus enim idemque effectus non producit res ex diametro adversas in eadem materia: ex salutari certe planta non promanat vis venenosa, quamvis ea salutaris sit uni corpori, mortalis autem sit alteri; sicut veratrum

nutrit & impinguat coturnices, hominem autem interficit. Has interim contrarias vires in uno eodemque subjecto exercere non potest, ut nempe veratrum coturnicem nequeat nutrire & interficere, nec hominem simul intoxicare & nutrire. Virtus igitur plantæ propria in tota planta est, quælibet autem pars plantæ in situ & figura alteri dissimilis est, sed non contraria in virtute & substantia: folia enim & fructus sunt de plantæ substantia, & de virtute ejus plus vel minus habent. Posset hic quispiam objicere, quod brassica duos diversos effectus producat, secundum vulgi opinionem, qui asserit decoctum ejus alvum laxare, pulpamentum autem eandem obstruere. Ad quod respondeo, si proprium substantiæ hujus plantæ est laxare, impossibile etiam est, ut astrictio inde sequatur: nam, ut verum dicam, pulpamentum illud, post decoctionem reliquum, non est de substantia, quemadmodum patet ex digestione stomachi, qui substantiam quidem brassicæ in alimentum accipit, magna autem, tanquam excrementum nullius virtutis nutritivæ particeps, abjicit, quæ virtus tota in substantia est, & in qualibet ejus parte. Substantia enim hanc habet proprietatem, ut contrarietatem nullam in se recipiat, sed tantum plus & minus; quod tamen de actionibus & viribus ejus intelligo, & non de essentia. Pro exemplo sit homo, de quo dici potest, quod in unaquaque parte hominis

non

non magis vel minus homo est quam alius; interim tamen videmus, quod virtutes & actiones hominis in uno quam in altero, & in hoc membro quam in alio, excellentiores & potentiores sint. Idem observatur in simplicibus aut plantis, in quibus partes plus vel minus calidas aut frigidas, siccas aut humidas, & eidem tam in hac quam in illa videmus, id quod colores & sapores earum manifestum faciunt, & tamen in hisce rebus nulla est contrarietas. Non enim invenimus unam partem plantæ interficere aut intoxicare per nimium frigus, alteram vero curare per nimium suum calorem; hoc tamen experientia nobis demonstrat, quod flores & summitates ramorum in actione & virtute subtiliores sint, quam truncus aut partes inferiores, quia in qualibet substantia proprium est, partis purioris sursum ascendere, & impurioris inferius & prope excrementa manere. Quod quidem natura duas ob rationes practicare voluit, quarum una est, ut ornaret plantam & per digestionis suæ varietatem visui gratam efficeret; altera autem, ut hominibus aut animalibus subministraret id, quo plus vel minus ad essentiæ suæ conservationem opus habet; ea sane in re solicitam matrem referens, quæ omnes res necessarias & convenientes præparat, quamlibet secundum suum gradum, prout industria aut possibilitas suggerit. Nunquam enim simplicem perfectionem excedit; sicut in herbis flo-

res & semina perfectissimæ partes sunt, quas elaborare potuit, quales deinde ars, incipiendo, ubi natura substitit, ad altiorem perfectionis gradum deducit, & quidem per eandem viam, qualem natura tenuit, per separationem nempe, ut postea latius explicabitur.

Natura igitur prima hac separationis specie nihil aliud facit, quam res distinguere in subjecti sui ornamentum & animalium utilitatem, aut alias partes mundi, inter quas cognationem & reciprocam amicitiam sevit & plantavit, ut omnes secundum naturam & sympathiam suam mutuo sibi succurrere & inservire possent. Secundus autem separationis modus diversus est; per eum enim natura, aut ars, ad ejus imitationem, res contrarias ab invicem dividit & segregat, h. e. abstrahit a substantia id, quod non est de ejus essentia, sed ei adversatur potius, cum illa tamen habitans, quamvis non sit de illa, sicut purum cum impuro, subtile cum grosso, substantia cum excremento. Et hæc secundæ separationis species etiam duas ob causas fit sicut prior: una, ut pura substantia a corruptione & morte præservetur; altera, ut virtutes & actiones suas liberius proferat, utpote a grossis fæcibus liberata. Impurum enim occupans & implicans id, quod de substantia purum est, eique admixtum, non cessat hoc opprimere, donec plane tandem superaverit & suffocaverit, eaque ratione corruptioni mortali initium & accessum

præbens,

præbens, quæ alioquin res simplices & puras nunquam aggreditur, sed spurcas & composi-tas. Omnis igitur substantia de seipsa simplex & pura est, & per consequens corruptioni & morti non subjecta, ut in rebus & corporibus superioribus, ab omnibus excrementis liberis, videmus. Inferiores autem eo modo non se habent; jacent enim in medio fæcum impurarum hujus mundi, quarum natura est destruere & mortificare, cum puritatis proprium sit vivificare & conservare. Corruptiones & mortificationes hominibus per mundi fæces accidunt, in quibus brevem & labariosam vitam transigunt, plenam miseriis, fastidio & morbis, eodem fere modo, quo criminis alicujus reus obscuro & turpi carcere detinetur, ubi inter mortem & spem vitæ dubius, squalens fœtore, scatens vermibus, & cibis immundis aut corruptis insuper nutritus jacet. Omnia enim alimenta impura sunt, & vitæ carnificem secum portant, venenum nempe in illis latitans, unde mors tandem, propriarum quasi manuum proditione & spontaneo assensu introducta, finem nobis imponit, cum in se non habeant nisi parvam admodum quantitatem substantiæ vivificantis & nutrientis, eamque adhuc excrementis adeo obrutam, ut vix digestio ventriculi, quantumvis valida, eam attrahere solam possit. Hoc venenum igitur una cum substantia ingrediens atque corpus penetrans non cessat aug-

mentari & accumulari, donec vitale lumen obscuraverit & tandem extinxerit, seu potius naturæ actionem legitimam, quæ vivificatio est, aboleverit, nisi medicina & separatione retardetur aut suspendatur.

Ab excrementis igitur inducitur corruptio, & hæc duobus modis accidit, primo per semen parentum, qui cum non satis bene valent, & naturam corruptam habent, impurum etiam, corruptumque semen producunt, de generatione in generationem magis degenerans; medicamentosæ tamen correctioni subjectum, cujus beneficio corruptionis activæ, ad mortificationem tendentis cursus retardatur, & aliquo modo sistitur. Posset non admodum improprie hæc corruptio dici maledictus ille Satanas mundum circumiens, & indesinenter quærens, ut homines devoret: qua etiam de causa circa globum terrestrem vagatur, h. e. circa excrementa mundi, quæ principalem sedem in terra habent, quæ & ipsa corruptionem suam super alia elementa eructat: atque ita homines de illis & in illis viventes, in illis & per illa corrupti sunt, atque adeo corruptum semen habent, quod cum tempore semper magis ac magis corrumpitur. Nostra enim ætas magis vitiosa & dissoluta, quam antecessorum nostrorum, fecit statum nostrum pejorem illo, quo parentes nostri vixerunt, & post nos alius magis depravatus, & postea forsan adhuc alius dissolutissimus insequetur.

Secundus

Secundus modus corruptionis, & origo ejus ex alimentorum nimis excrementitiorum continuo usu oritur, ex quo corpora nostra depravantur, ita ut hæc infectio de parente in filium derivetur, quemadmodum in lepra aliisque morbis hæreditariis videmus. Hæc vero alimenta corruptionem suam a loco generationis trahunt. Postquam enim summus creator omnium rerum confusionem chaoticam disposuisset, ordinavit, ut res superiores manerent puræ & subtiles, inferiores autem grossæ & impuræ, quia natura substantiarum est, ascendere ad locum originis suæ, excrementorum autem ascendere & ad centrum vergere. Hinc accidit, ut purum, quod animalibus & vegetabilibus inest, elevetur & superiora petat, atque eadem secum ascendere & crescere faciat, usque dum a massa excrementitia liberetur, quæ illud purum corruptioni mortali subjicit & alligat, atque insuper ut possit attingere locum, ubi longissime ab excrementis absit, atque sine alteratione & labe vivere possit. Eadem etiam de causa creaturæ magis spirituales & subtiles altiora loca occupant, veluti magis depuratæ, & alimentis sibi convenientibus ac naturali earum substantiæ similibus vivunt, quæ vero magis corporales sunt, inferiora loca inhabitant, immersæ fæcibus & immunditiei, in locis humilibus sedem suam habentibus, unde etiam corrumpuntur & ex eo vivunt, quod fæcibus

mundanis immixtum & intricatum est. Quicquid enim terra & cætera elementa, (impuritatum receptacula,) producere possunt, corruptum & maculatum est, corruptionem per consequens & spurcitiem omnibus rebus, quibus pro alimento est, inferens. Atque hoc modo sanguis malam dispositionem acquirit, unde postea maligni humores sortiuntur, in uno tamen plus & in altero minus, secundum parentum statum inquinatum, & abusum rerum corruptibilium, a quibus destructionis & mortalitatis causa procedit. Si enim terra, ejusque fructus æque pura essent ac cœlum, animalia etiam omnia eadem viverent vita, qua cœlestes inquilini vivunt. Verum natura hanc legem necessariam stabilivit, ut illud, quod plus de corpore habet, maxime etiam corporeum circum habitet, & quod magis corruptibile & inquinatum est, circa illud, quod sibi simile est. Terra autem omnium corporum inferior est, adeoque magis grossa & corruptibilis. Nihil ergo ex illa prodire potest, quod ei non sit simile, nisi separationis ars interveniens corruptionem & impuritatem auferat, extrahendo quicquid puræ substantiæ in corpore est, quod etiam verus Philosophus industria sua perficere potest. Nunquam fuit, nec adhuc est intentio mea, ut Medicos offendere velim, quibus debitum potius honorem defero, miror tamen cum multis viris doctis, eos majori cura Apothecarios

non

non instruere, ut in præparatione medicamentorum magis curiosi sint, cum tamen in vulgari procedendi modo toties successu optato frustrari se videant. Volunt enim corpora ægra & debilia curare & restituere offerendo illis jusculorum magnam quantitatem, quibus tanta impuritatum & grossarum fæcum copia immixta adhuc est, ut parum illud substantiæ, in qua sola virtus curativa latet, in suo veneno submergatur, & actionem contra morbum nullam habeat, natura etiam actionem juvare non possit, quia ipsa succumbere in hoc conflictu cogitur, hinc ratione impuritatum remedii, illinc autem morbi causa. Idem igitur est, ac si quis corruptionem armis aut mediis corruptis & corrumpentibus abigere vellet, quod ego quidem impossibile esse puto: ut enim *Petrarcha* dicit, *a pluviis nunquam flumina exiccata fuere, nec ignem per flammas extingui, & corruptibile corruptibili additum corruptionem augere.* Ægri etiam vires admodum debilitatis alimentis instaurare conantur, quæ facilis digestionis, minorum impuritatum, & corruptioni adeo subjecta non esse credunt; sed non considerant, hoc etiam modo parum se proficere, atque alimenta, quantumvis electa, prodesse tamen admodum non posse, quia cum actionem aut potentiam destructivam, ad exterminationem aut saltem causarum morbificarum minorationem, nullam habeant, pro sustentaculo tantum serviunt

vitæ miseræ ex debilitate fere collapsæ, quæ tamen ideo ab expiratione aut morte libera nondum est, nisi natura sponte assurgat, atque inimici sui mortalibus machinationibus sese objiciat, aut medicamentis forsan exquisitis artificis magna industria ad puritatem & perfectionem supernaturalem reductis, adjuvetur, quorum virtus a corruptione libera vigorem pristinum restituat, & hoc modo originem morbi eradicare valeat. Omne enim verum medicamentum duas hasce operationes perficere debet, ut simul purget & vires instauret: in quo totius Medicinæ ars & fundamentum consistit, quanquam hodie dictarum duarum partium minor tantum in usu sit, purgatio nempe; magis autem excellens restauratio fere abolita, & per inertiam aut avaritiam neglecta jaceat. Quod hoc ita sit, ex quibusdam portionibus intra corpus assumptis apparet, quæ alium effectum non habent, nisi ut ventrem laxent & sæpius purgent, non quidem id, quod causa mali est, sed materiam quandam excrementitiam cum morbo nihil commune habentem & interdum propter simplicia male præparata aut dispensata, aut impertinenter adaptata superfluas evacuationes causentur, naturam jam ante debilem non sine periculo offendentes, quæ quidem enervata magis tam propter vacuum, a quo abhorret super omnia, quam propter motum violentum in hisce purgationibus contingentem,

atque

Atque hinc necis magis quam curationis cauſam exiſtentem, quem etiam violentum motum non minus deteſtatur quam vacuum, eſt enim impatientiſſima ad horum duorum hoſtium juratorum inſultus, deſtructionem ei inferentes. Ea de cauſa Medicina vulgaris morbos obſtinatos compoſitionibus ſuis communi modo præparatis raro curat, & ſi inter multos unus forſan curatur, non hoc accidit, per pilulas, bolos & portiones, ſed per vires naturæ, quæ ſufficiens eſt ad devincendam impuram quantitatem immixtam his remediis, & commodum aliquod in ſuum ſubſidium ex pauca eorum ſubſtantia extrahendum; ſive quod qualitas venenata harum rerum excrementitiarum & corrumpentium robore naturæ expulſa & rejecta ejus ſit potentiæ, ut ſecum portionem aliquam humoris peccantis, ſibi ſimilem, per attractionem & ſympathiam extrahat & deturbet. Atque ita tale medicamentum extraneum impugnando corpus naturam etiam movet, quæ irritata & ad reſiſtendum huic ſuo inimico parata rejicit & violenter impugnat id, quod ſibi noxium & contrarium eſt. Si igitur omne medicamentum conveniens & non adverſum naturæ eſſe debet, oportet ut a veneno ſuo, h. e. a maſſa excrementitia & corruptibili illi adhærentes, repurgetur. Qua de cauſa Medicus primo res eligere debet corpori humano convenientes & ſympathiam cum eo habentes, & haſce ab

impu-

impuritatibus liberare, aut eas saltem accipere, quæ naturaliter virtutem generalem & puritatem innatam, atque in interiori suo occultam continent. Quæ purificatio aliter fieri non potest, nisi per destructionem & separationem impuri noxii, & restaurationem puri, quod sub immunditie sepultum aut suffocatum jacebat.

Quia vero professio mea non est medicinam facere, ulterius ea de re tractare supersedebo, atque viam repetam a qua per occasionem paulo declinaveram. Dico igitur, cum in rebus inferioribus nihil sit nisi veneno infectum, fæcibus immersum & in excrementorum corruptione quasi sepultum, quæ mortificationem generat, & legitimæ substantiæ libertatem ejusque actiones impedit, naturam necessitate quadam coactam fuisse, separationis remedium adhibere, quæ per divisionem & decisionem puri ab impuro, subtilis a grosso, salutaris a destructivo perficitur. Quia vero mirabilis hæc operatrix hujusmodi operationes in occulto facit, laborando in corporibus per secretam digestionem, ita ut nunquam perfectionem simplicem excedat, ad quam absolvendam ejus tantum potentia extenditur, unde etiam alimenta corporalia non possunt corpora, quibus inclusa sunt, ad supremum proprietatum suarum gradum conducere, Philosophi prudenter conati sunt, totaliter hanc substantiam a massa corrum-

pente

pente ſeparare, & poſt hanc ſeparationem per viam naturæ, digeſtionem nempe & ſublimationem, ad ſummum gradum puritatis evehere, acquirendo illi per regenerationem formam novam, ita ut rebus primam ſuam naturam, qualitates & proprietates abſtulerint, mutantes, ut melius dicam, corpus impurum in ſpiritum puritate plenum, humidum & frigidum in calidum & ſiccum, atque illud ipſum non ſolum in ſpeciebus & ſimplicibus, ſed etiam in magno mundi compoſito, quod ſpiritus noſter univerſalis eſt, practicando. Niſi enim natura rerum univerſalis renovetur, impoſſibile eſt, ut ad ſtatum incorruptionis & renovationis perveniat. Regeneratio igitur primus fructus eſt, quem ſeparatio producit. Sicut vero granum de ſeipſo generare nihil poteſt, niſi moriatur & in terra putrefiat, ita impoſſibile eſt, ut quidpiam renovetur & regeneretur, niſi per præcedentem mortificationem. Mortificatio igitur primus ſcalæ gradus eſt, quo ad ſeparationem aſcenditur, atque unica ſemita ad eam perveniendi. Nam quamdiu corpora in antiqua ſua corruptione & origine manent, ſeparatio nunquam advenire poterit, niſi mortificatio h. e. putrefactio & diſſolutio præceſſerit. Quod etiam Dominus noſter *Jeſus Chriſtus* (a) divine docuit, dicens, *niſi ad imitationem grani frumenti homo moriatur, vitam acquirere incorruptibilem non poteſt.*

Non

(a) *Joh. 12, 24.*

Non quod dicere velit, hanc incorruptibilem vitam per mortem corporalem acquiri debere, alias enim mali & ſcelerati homines moriendo eandem beatitudinm cum bonis & juſtis conſequerentur, ſed hoc tantum innuere vult, quod antiquum hominem mori oporteat, h. e. mortificare & ſcparare de ſe antiquam corruptionem, quam ex ſemine primorum noſtrorum parentum attraxerat. Hæc autem corruptio proprie eſt intemperantia & exceſſus per morſum vetiti pomi introductus, per quem mors introducta fuit, & homo mori non ceſſavit, quia poſtea terra, omniaque, quæ produxit, animalia a veneno fraudulenti ſerpentis occultati in fructibus, h. e. in alimentis infici cœperunt, quorum cupedia miſeros mortales ad transgreſſionem & ad pomi vetiti deglutitionem pellexit, in quo mors latebat. Et ſerpens corruptor ille eſt, quem Satanam ego nomino, quia ſuper terram repit & indeſinenter illam circummeat, immiſcens & inſinuans ſeſe illi, & omnibus, quæcunque ea producit, animalibus, nempe vegetabilibus & mineralibus, ea quaſi intentione, ut mundum veneno inficiat, & homini mortis tyrannidem inferat. Ex hac intemperantia & exceſſu in victu virtutum privatio inſecuta eſt, quia vitium proprie nihil aliud eſt, quam juſtitiæ neglectio, juſtitia autem temperatum deſiderium & continuus progreſſus ad bonum eſt. Oportet igitur, ut hæc intemperan-

tia

dam excessus in nobis moriantur, quia in homine omnes species peccatorem generant, atque ad malitiam & impietatem nos stimulant. Atque ea de causa injunctum nobis est, ut simus sobrii & crapulam & ebrietatem vitemus, carnalium desideriorum verosau torum; atque ut jejunemus frequenter ad interitum flammarum extinctionem, quæ sensus nostros movent, & sanguinem nostrum ad corruptiones incendunt. Notum autem est corporis humani anatomicis, quod homo duplex sit, cœlestis unus & immortalis, alter terrestris & corruptibilis, & prior quidem captivi, posterior vero carceris instar sese habeant. Magna interim quæstio est, quomodo fieri possit, ut cœlestis ille, in hac putida & corrupta voragine sepultus, essentialem suam puritatem conservare possit? Manifestum enim est, liquorem aliquem, quamvis excellentem & pretiosum, saporem & odorem perdere, si diu in fœtido vase concludatur & servetur, & hominem etiam optime sanum, si in domo peste infecta habitet, infectionis periculo subjectum esse. Homo cœlestis de se bonus & sincerus est, terrestri vero junctus, cui impuritas & vitia naturaliter adhærent, difficulter a labe immunis manet. Depravatio puritatis hujus essentialis sine dubio a pomi vetiti comestione dependet, sive, ut expressius loquar, ab intemperantia alimentorum, corruptione pernitiosa & contagiosa conditorum.

rum. Ob hanc causam opus est, mortificare hanc intemperantiam & corruptionem, ad cohibendum antiquum illum destructorem unius & alterius hominis, atque ad reparandum illud per novam vitam, quod incorruptibilitati cœlestis nostri Patris appropinquat.

Restaurator vero noster *Jesus Christus* duos tantum modos regenerationis nos docuit; unum per aquam baptismi, & alterum per ignem spiritus sancti. Aqua est, quæ maculas lavat, ignis vero consumit & separat omnes impuritates a pura essentia. Atque ut pretiosus ejus sanguis, (qui vera aqua est,) vitia purgat, & hominem a morte salvat, quam mortalis corruptio terrestris parentis introduxit, ita aqua dissolvit & purgat fæces & excrementitias impuritates, quæ corruptionem in omnibus substantiis generant. Ignis Spiritus sancti consumit & separat impuritatem excrementitiam peccatorum, ita ignis vulgaris delet similiter impuritatem substantiæ rerum, quæ ideo mortificari debet, ut regenerari possit. Et hæc mortificatio est putrefactio & digestio, quæ aptiorem illam reddunt, ut beneficium separationis recipiat. Et hæc mortificatio in nobis tum fit, quando Sol Sancti Spiritus divinos suos radios ad hominis globum interiorem, qui cor est, ejaculatur, qui ad centrum usque illum calefaciunt, & sensim affectus corrumpentes antiqui Adami consumunt. Eodem

dem modo ignis Chymicus flammam suam circa corpus purgandum reverberans, virtutem habet comburendi & annihilandi illud, quod impuræ & extraneæ naturæ est, secundum magis & minus, prout impuritas illa rebellis est, & difficilior ad dissolutionem & separationem, quæ deinde per destillationem completur. Hæc igitur recta via est, quam natura in regeneratione omnium rerum observat, quæ laudabilem effectum medicum non haberent, nisi mediante igne & aqua renascerentur. Eædem etiam post secundam hanc suam nativitatem seu regenerationem in virtutibus & actionibus liberrimæ sunt, cum antea in massa excrementitia sepultæ suas functiones vitales, quibus benigna cœli influentia abundabant, depromere non possent; eadem plane ratione ac homo, dum antiqui Adami carceribus adhuc detinetur, actionem aliquam laudabilem & virtuosam producere nunquam potest.

Verum antequam ulterius ad harum rerum practicam explicandam progrediar, repetam ordinem inceptum, ut nempe, postquam Separationis definitionem dedi, &, quot ejusdem species sint, declaravi, nunc etiam monstrem, quænam sint eæ species, unde procedant res separandæ, & unde vis separativa oriatur. Sufficienter autem hactenus deduxi, in quolibet corpore duas esse partes, quarum una est excrementum, & altera, substantia, at-

que unam eſſe accidentalem, alteram eſſentialem. Subſtantia enim ſimpliciter conſiderata, ut antea dixi, tota pura eſt, & ſine ulla corruptione; excrementum contra totaliter impurum, immiſcens ſe ſubſtantiæ, ejusque puritatem contaminans & pervertens. Generatio & formatio ſubſtantiæ ſufficienter declarata eſt in duobus primis capitibus ſecundi *hujus* libri; reſtat nunc igitur, ut excrementorum quoque naturam & qualitates explicem. Ubi ex antedictis infero, nihil præter excrementum ſeparari debere, ſupponendo hoc fundamentum, quod inter res paſſibiles in mundo ſublunari nihil ſit ab excrementis vacuum aut liberum. Cum enim Deus mundi partes ſepararet, juſſit, ut quædam ad imum locum deſcenderent, eæ nempe, quæ in prima materia magis groſſæ erant, atque ibi tanquam minus ſubtiles & graviores congregarentur. Et ex hac maſſa fæculenta, inferius circa centrum coëunte, terra formata eſt, aliqua nihilominus parte veræ ſubſtantiæ dotata, verum per groſſam ejus ſpisſitudinem diffuſa, poſtquam Phœbus monſtroſum Pithonem, humore venenato inflatum, interfeciſſet, qui ex limo terreſtri prognatus fuerat, hoc eſt, poſtquam ſiccum innatum operatione caloris natura*lis* humidum ſuperfluum imbibiſſet, incepit terra actiones hujus ſubſtantiæ, in ſinu ſuo occultatas, ſentire. Quæ ſubſtantia eſt illa materia ſpirituoſa, nunquam otioſa, verum ſemper

per & sine fatigatione circa generationes & vivificationes occupata. Quæ etiam proprie hoc loco terra appellari debet, quia vere terræ propria & virtuosa substantia est, atque illa sola, quæ per propriam corporificationem suam omnia corpora, secundum individuorum ideas, generat. Quod antehac Oda Pindarica, Serenissimo Alensonii Duci, Domino meo clementissimo dedicata, descripsi, ex qua versiculos aliquot, proposito meo convenientes, depromam:

L'esprit porte sur la face
De cette indigeste masse,
L'environnant tout autour,
Fait separer la matiere
Pesante de la legiere,
Et la noire nuit du jour.
Puis de l'humeur amassée
Le corps plus pesant & froid
Fait la rondeur compassée,
Que d'un serrement etroit
L'eau, ou l'air contrebalance
D'un poids si ferme & egal,
Que sans souffrir même mal
Ne peut choir en decadence.
Puis versant l'ame au dedans,
Et les semences du monde
La fait nourrisse feconde
Du Ciel & des feux ardens.

Quorum versiculorum hic sensus est:

Mox in principio creationis
Cum confusus adhuc jaceret orbis,
Plenus spiritus igneo calore
In summaque voraginis profundæ
Motans se facie, fovendo cuncta
Fecit materiam rudemque massam,
Mirandæ utique separatione,
Vnam in multiplices abire formas.
Sic ut pars levior volare sursum
Gauderet, gravior sui deorsum
Centri quærere conglobationem,
Et clara ex tenebris dies micaret.
Tum vero ex reliquo humido coacto
Adhuc corpore ponderosiore
Frigidoque simul rotunditatem.
Confecit quasi circino globatam,
Quam cingens aqua strictiore nexu
Aut circumfluus & volucris aër,
Sic intra propriam ratamque sedem
Æquis ponderibus coërcuere,
Vt pars neutra suo loco moveri
Absque præcipiti queat ruina.
Illi præterea fluentem ab astris
Infundens animam atque sperma vivum,
Sanxit inviolabili statuto,
Vt cœli foret igniumque nutrix.

Quia vero in hac separatione universali id, quod plus de igneo & subtili continebat, altiorem locum pro sede sibi eligebat, grossius autem

autem & maſſivum verſus inferiora vergebat, ut ibi quieſceret, contigit, ut corpora cœleſtia, remota & ab omnibus fæcibus immundis ſeparata, manerent immortalia, & in rotunditatem ſeſe curvarent, quia a principio ſuo uno quaſi volatu aſcendebant, qua etiam de cauſa natura rerum æternarum formam rotundam deſiderat, quæ ſola forma completa eſt & indeficiens. Ex alia parte contigit, ut groſſæ & terreſtres corruptioni & morti obnoxiæ manerent, quia in corruptione res contrariæ jungebantur, elementa nimirum in qualitatibus differentia, puta calore, frigiditate, humiditate & ſiccitate. Quibus impuritates immiſcebantur, quæ proprie primæ univerſalis materiæ fæces erant, per ſe puræ non creatæ, ut quidam ſibi imaginantur; omne enim quod inde prodiiſſet, & adhuc prodiret, mortis cauſa non fuiſſet. Et quod magis eſt, nulla generatio in mundo inferiore fieri potuiſſet, quia formarum alteratio & mutatio nulla ibi fuiſſet, quæ omnes eandem haberent faciem, ſine ulla ſuperioris aut inferioris diſtinctione. Omnes res manerent æqualiter puræ & ſubtiles, & conſequenter ornatu ſuo privatæ; imo, ut libere loquar, non fuiſſet ulla facta creatio nec materiæ nec mundi. Fuit igitur plane neceſſarium, ut ſubſtantia ſubtilis cum fæcibus groſſis miſceretur. Ubi enim nihil quam puritas eſt, ibi neque actio eſſe poteſt, quia ſine patiente actio nulla eſt, cum purum

ſuper ſuum ſimile imperium non habeat, nec impurum ſuper ſuum ſimile. Natura autem, in continua actione ſeparationis puri ab impuro, ad conſervationem eſſentiæ & incrementi vitalis occupata, pro unico ſuo ſubjecto hanc ſubſtantiam impuritatibus mixtam habet, quæ ſemper ſtatum & naturam primæ creationis retinens, non nutritur, multiplicatur aut creſcit, quam cum nutritione, multiplicatione & fæcum accretione, quæ quidem conſubſtantiales illi non ſunt, ſed tantum nativitatis comites, aut ſorores uterinæ. Quod hæc ita ſe habeant, per experientiam ſciunt illi, qui divina inſpiratione invenerunt modum extrahendi primam hanc materiam, atque illam ad imitationem naturæ corporificandi, quæ qualemcunque etiam puritatem, munditiem & claritatem habere videatur, ſemper tamen magna ſordium terreſtrium quantitate onerata obſervabitur, quæ non niſi magna induſtria auferri poteſt. Puto inſuper, fortiſſimis argumentis me demonſtraſſe, quod omne corpus maſſivum, ſive ſenſibus ſubjectum, alimentetur & conſervetur non quidem terra hac viſibili & excrementitia, ſed materia illa ſpirituoſa ſolummodo; qua ratione etiam videmus excrementis ea plane ſcatere, & totam eorum maſſam nihil aliud eſſe, quam excrementum, in quo materia hæc ſpirituoſa, ad propriam corporificationem apta, inviſibiliter deliteſcit. Quamvis enim

edamus

edamus & bibamus, omne tamen id, quod ſtomachum noſtrum ingreditur, per loca deſtinata ſimile fere pondere & quantitate, qua illud ingesſimus, egreditur. Non igitur ex maſſa vitale oleum extrahimus, ſed de pura illa eſſentia, & ſubſtantia in ſuo interiori latente. Ut breviter dicam, excrementum illud nihil aliud eſt, quam impurum domicilium ſpiritus hujus nutrientis, & inſtar vehiculi ad locum diſtributionis illum portantis, ad complendam ibi digeſtionem & requiſitam ſeparationem. Arbores & plantæ nonne maſſam excrementitiam ſecum incorporatam habent, atque hæc maſſa nonne ſpiritus hujus vivificantis & vegetantis conductrix, & quaſi fulcrum aliquod eſt, qui illas creſcere facit? non dico, omne, quod in arbore aut alio individuo eſt, totaliter eſſe excrementum, in omnibus enim neſcio quæ particula ſubſtantiarum habitat, quam ſane corpus non poſſum recte appellare, ſed tantum ad ſeſe corporificandam quodammodo aptam, quod natura de ſeipſa facere non poteſt. Licet enim quod videtur & tangitur, vere per materiam ad corporificationem aptam progeneratum ſit, non tamen hoc corpus ſubſtantiale eſt, & præter excrementum nihil cernitur, ita ut natura nihil apparere ſinat de eo, quod eſſentia vitalis eſt, & rei ſubſtantia, ſive ut clarius dicam, id, quod de prima & ultima materia eſt. Ars autem, cujus induſtria ſimpli-

cem naturæ potentiam superat, idipsum bene facere potest. Ingeniosus enim Physicus hoc considerat, quod licet in naturali creatione spirituosa materia & substantia rerum nunquam inveniatur pura, quia tamen fæcibus immixta est, sequitur eam heterogeneam, adeoque per digestionem ventriculi separabilem esse, qui excrementa rejicit, substantiam autem retinet, non quidem, quod hæc separatio visui subjiciatur, sed tantum intellectui per apparitionem effectus, quia nempe fæces separari & rejici videmus, tanquam res ad conservationem essentiæ corporis inutiles. Sed & augmentatio, restauratio & vivificatio, corporibus per hanc substantiam accedentes, hujus rei certos nos faciunt, quamvis natura nobis operationem, qua hæc actio fit, occultet. Quia igitur substantia separabilis est, oportet, ut illi puritas quædam innata sit, quæ homogenea & in omnibus partibus sibi similis est. Hæc autem puritas per naturam manifestari aut in lucem trahi non potest, quia nunquam nisi simpliciter, ad res juxta suam intentionem perficiendas, operatur. Artista autem observans, calorem solum medium & instrumentum esse, quo natura ad abtinendam hanc perfectionem utitur, ignem itidem unicum esse purgatorem & separatorem, qui semper ad perfectam purificationem tendit; videns insuper in omnium corporum centro substantiam puram contineri, quæ per naturam separari

rari posſit, & ſi forte non adeo exacte, ſaltem ſecundum virium ſuarum extenſionem, proponit ſibi eandem viam ſequi, eodemque inſtrumento uti, quo natura uſa fuit, igne nempe, eumque ita adminiſtrare, ut ſine deſtructione hujus ſubſtantiæ, quæ in centro ſuo pura eſt, omnia excrementa comburat & ſeparet, eo uſque donec ad ſummam puritatem devenerit, atque ignem nihil amplius potentiæ deſtructivæ ſuper eam habere videat, ſed actionem potius convenientem ad ejus conſervationem, exaltationem, atque introductionem tincturæ aut qualitatis ſibi ſimilis, atque ita tandem totam hanc mundisſimam ſubſtantiam in ſuam propriam naturam convertat. Artis igitur miniſter animadvertens hanc ſubſtantiam omnibus rebus inſitam eſſe, & cunctas res comburi poſſe, ita ut poſt combuſtionem cinis reſtet, quem ignis devorare nequeat, ſapienter concludit, in illis cineribus reſtantibus theſaurum aliquem latere flammæ rigori non ſubjectum. Operationi ergo ſuæ ulterius incumbens, Sal quoddam invenit, per ignem non productum, ſed ignis potius victorem, inſtar puri cujusdam auri cujuscunque corporis combuſti. Hoc Sal ultima materia eſt in corporum anatomia reſtans, & non cinis, unde hoc Sal extractum ultimo fuit, ex quo etiam poſtea nihil amplius trahi poteſt. Si enim per humiditatem in aquam convertitur, eadem per calorem

in Sal iterum congelatur; unde consequenter affirmari potest, hanc aquam verum fuisse Mercurium, ex quo corpora primo creata sunt: & hanc aquam, in cineribus occultatatam, impedire ejus totalem in combustione consumptionem: eodem plane modo ac Mercurius universalis in sinu terræ latens ante corporum productionem. Qua de causa doctissimus *Rovillascus* hanc humiditatem in scriptis suis *aquam ignis Mercurialis* appellat, quia ignis eam generat & nutrit, imo etiam bonitatem ejus tanto magis augmentat, quo diutius in illo manet. Ultima enim operatio ignis est, Sal facere, & Sal nihil aliud est, quam aqua sicca, quæ humorem & siccitatem suam per ignem acquirit & conservat, & inde necessario consimilis naturæ est. Id quod hic moneo, ne cui videatur absurdum, quod in principio hujus libri dixi, ignem non esse sine humore. Cum enim de eo nutriatur, oportet etiam ut de illo participet, quia omnes res ex eo alimentum suum capere debent, unde factæ sunt; ita ut ignis & humor sint quasi duo correlata, quorum unum sine altero, ne imaginatione quidem, consistere potest. Et habent procul dubio elementa talem connexionem & affinitatem inter se, ut unum de altero participet, & unumquodque in altero & suo socio inveniatur. Terra enim continet aquam, aërem & ignem; aqua ignem, aërem & terram; aër terram, aquam

&

& ignem; & ignis aquam, aërem & terram: sine quibus participationibus nulla posset invicem conversio fieri, & nulla etiam sympathia aut convenientia. Ex dictis colligi potest, quod ab excrementis nihil liberum sit, quodque excrementum & substantia duæ sint partes, unde omnia corpora componuntur, & quod nihil nisi solum excrementum, tanquam accidentale, & nullam affinitatem cum essentia substantiæ habens, a subjecto separari debet. Similiter colligi potest, ignem esse, qui solus hanc operationem procuret & facilitet.

Tempus nunc est, ut progrediar & explicem, quomodo hoc fiat; non enim sufficit, proponere, quod separatio sit initium operum tam naturæ quam artis, nec scire, quæ res sint separabiles, si praxis & præparandi modus non intelligitur. Dixi autem antea, duas esse separationis species, unam, quæ fit propter distinctionem & ornamentum, de qua nihil amplius dicam, quia ad solam naturam & non ad artem pertinet; alteram autem, quæ fit per divisionem vel decisionem partium, cujus practicam explicare decrevi. Dixi in præcedentibus, omnes res visibiles & palpabiles ex duabus contrariis partibus compositas esse, excremento nempe & substantia. Substantia de se simplex & indivisibilis est, sive generaliter pro prima materia universali, sive pro speciebus particularibus capiatur, secundum impressionem ideæ aut formæ cœlestis, quæ

infinita

infinita eſt; hoc eſt, ſubſtantia iſta im limbo univerſi vel in quacunque ſpecie corporum compoſitorum una eſt in eſſentia, virtute & qualitate. Et dici non poteſt.in uno eodemque ſubjecto unam partem eſſe unius ſpeciei, alteram autem alterius. Verum in excrementis res ita ſeſe non habet. Ad quod melius intelligendum ponam ſequens fundamentum, nimirum non eſſe niſi duo media, quorum beneficio omnes ſeparationes complentur, ignem ſcilicet & aquam: & non eſſe niſi duas res ſeparabiles in omnibus corporibus, quarum una ſeparatur per ignem, altera per aquam. Primo loco tenendum eſt tanquam indubitabile, quod ignis natura ſit conſumere & deſtruere omne id, quod combuſtibile eſt, aquæ autem lavare & mundare ſubſtantiam & impuritatibus rem commaculantibus. Ignis devorat omne id, quod volatile eſt, & qualitatis aëreæ, quia proprium ejus eſt nutrimentum. Aqua vero omne id dividit, quod terreſtre & groſſum eſt. Oportet igitur, ut inter hæc duo extrema, media quæpiam diſpoſitio ſit, quæ ſalvari & conſervari debeat, nec fæces, nec aduſtibile quid in ſe continens, quorum ratione his duobus expugnatoribus ſubjiciatur: & hinc clare patet, aduſtionem & fæces eſſe duos corruptores & deſtructores omnium rerum. Quod divinus equidem *Hippocrates* probe ſcivit, quando dicit, *omnes morbos aut ex aëre aut ex alimentis provenire:*

venire: innuens nempe, excessum alimentorum excrementitiorum, & aërem ad recipiendam corruptionem aptum, facileque excrementa per ignem, natura ignem excedentem, inflammantem & corrumpentem, cujuscunque morbi causam esse. Alimentorum enim excrementum corpora terrestribus impuritatibus replet, & aër inflammabilis materiam sulphuream & adustibilem generat; quæ facile ardorem concipiens, etiam id, quod vitale & radicale est, secum consumit & dissipat, majori videlicet volatilis atque adustibilis quantitate illud deportante. Fæces igitur terrestres & adustio duo autores sunt corruptionis, & quæ vigorem actionum substantialium in omnibus rebus impediunt. Si argumenta familiara ad hoc probandum desideramus, monstrabit nobis idipsum digestionis & excrementorum fœtor, ille enim in rebus, quæ comburuntur, olfactu perceptus, parum boni subesse indigitat. Eadem ratio est in excrementorum fumis fœtidis ex corporibus prodeuntibus, qui corruptionem semper supponunt. Præter autem corruptionem istam, quam generant, duo etiam inconvenientia hinc sortiuntur, quorum unum est penetrationis, alterum fixationis impedimentum, quæ sunt duæ actiones ad vitæ conservationem maxime necessariæ. Quod enim vitam nutrit & sustentat, merito res debet esse subtilis, ut corpora per subtilissimas partes penetrare, imo etiam instar balsami secreti, vitæ lumen

lumen in centro corporis latens roborare & ejus ſubſtantiam augere poſſit. Si enim groſſa res illa eſſet, obſtrueret, ſuffocaret & extingueret potius, quam vias adeo delicatas & anguſtas pervaderet. Ex altera parte, quod vitam in ſtatu ſuo conſervat, rationabiliter etiam res aliqua ſtabilis & non fugiens eſſe debet. Si enim volatilis eſſet, ſingulis momentis nobis mors metuenda foret, a corruptione videlicet, quam fæculenta aduſtio generat, introducta, quæ continue vitæ noſtræ inſidiatur. Terreſtreitas igitur impedit ingreſſionem, & aduſtio fixationem & ſtabilitatem. Hinc ſalutaris admonitio in Medicinæ incrementum deſumi poteſt, nempe omne verum medicamentum, intra corpus pro viribus reſtaurandis, aut inſtantis mortis cauſa profliganda, aſſumendum, duas proprietates habere debere, ut videlicet ad centrum ſanitatis penetret, & hoc centrum, per totum corpus ipſum dilatando & deducendo, conſervet. Quod antiqui olim felici & glorioſo ſucceſſu ad praxin revocarunt, atque ante annos non ita multos nimis allatratus & ubique exoſus *Paracelſus*, qui veſtigia illorum relegens poſteritati explicuit ea, quæ tot ſæculis aperta fuerunt. Loquatur & faciat contrarium, quicunque vult, ego ſane affirmare non dubitabo, ſine ignis operatione nihil ad puritatem & fixationem conduci poſſe, quæ duæ partes in cujusvis medicamenti præparatione maxime

obſer-

observandæ sunt. Ad cujus assertionem validissima hæc ratio me inducit, quod nullum corpus vere medicinale, in prima sua origine existens, h. e. in prima sua forma, fæcum suarum corruptione plenarum excrementosa spissitudine immersum, ad locum & sedem sanitatis pertingere, neque etiam eandem præservare possit, quia subtili penetratione, & fixa permanentia caret, ad restaurationem corrupti & deperditi, atque ad restaurati conservationem magnopere requisitis; quod equidem per vulgares præparationes sive in substantia sive in infusione fiat, perfici nunquam potest. Impossibilitas in substantia facile seipsam prodit, quia hæc non nisi violentam purgationem producit, periculosam debilitationem potius, quam salutarem restaurationem procurantem, ut antea demonstravi. Quantum autem infusiones attinet, non potest per illam aliud quid ex simplicibus extrahi, quam pauca nitrositas, omnibus aliis corporibus insita, cum partibus quibusdam fæcum excrementitiarum. Hinc etiam infusio non rerum virtutem interiorem, sed exteriorem tantum saporem attrahit, qui tamen in centro suo vere alius, quam in superficiali materia est. Videmus enim ordinarie infusiones communes amaras admodum esse, quas saccharo aut melle emendare nos oportet, quia maxima Pharmacopœorum pars industria ea caret, ut rerum naturalem dulcedinem,

nem, qua natura gaudet, extrahere valeat. Omnis enim amaritudo proveniens a Sale, cui amarus ſapor tribuitur, in profundo ſuo dulcedinem continet, quæ per ſimplices infuſiones nunquam extrahi poteſt, ſed tantum per ignem, & quidem ingenioſo artificio, maxime cum hæc dulcedo totius Medicinæ perfectio ſit. Ea de cauſa *Arnoldus de Villa nova* dicit, *ſi ſciveris amarum dulcorare, totum magiſterium conſequeris.* Quod etiam *Braceſcus* bene intellexit, ut in dialogo intitulato, *Demogorgon*, teſtatur.

Ut ad propoſitum redeam, occulta ea dulcedo manifeſta fieri nequit, niſi plene a terreſtribus fæcibus, atque a volatili & aërea aduſtione liberata & exempta ſit. Terreſtreitas enim extraneum ſaporem præbet ratione propriorum excrementorum Salis, ex quorum diverſitate, ſecundum ſpecierum & locorum, in quibus generantur, diverſitatem, ſaporum varietas oritur. Omnis enim ſapor a Sale prodit, & quo plus Salis adeſt, eo ſapor eſt intenſior. Ex alia parte aëreum & volatile malos & non naturales odores parit, quod propter aduſtionem & inflammationem ſulphuris unctuoſi & combuſtibilis fœtorem illum exerit, qui in combuſtione alicujus rei percipitur. Quod autem res illa volatilis excrementum ſit, per fœtentes fumos corporum ardentium ſatis probatur, a quibus fuligo caminis & aſſeribus infumatis adhærens aſcendit,

dit, quæ corporum combustorum odorem, & excrementorum Salis amaritudinem retinet. Atque hoc tanto magis per nigredinem & obscuritatem manifestum fit, quam vapor ille omnibus rebus, quas tangit, imprimit, quique maximam partem luminis & splendoris naturæ impedit, quæ semper puritatem atque a tenebris separatam sese desiderat, quemadmodum in perfectis corporibus ex intenso splendore, magnæ puritatis indice, apparet, cum alia, secundum compositionem suam magis vel minus impuritatibus immersam, etiam magis & minus umbrosa conspiciantur, prout metalla perfecta aut imperfecta, & lapides pretiosi hac de re amplissimam præbent cognitionem. Quodsi peregrinationes longinquas & extraneas relinquere, atque juxta oraculi consilium, curiosa itinera in nobis ipsis terminare volumus, inquirendo nimirum causas ægritudinum & morborum nostrorum, facile ab infectis hisce fumis, lumen sanitatis nostræ obscurantibus, eas derivari inveniemus, unde manifestum signum eorum, quæ interius fiunt, capere possumus. Homo enim sanus, ob dispositionis naturalis internam claritatem, faciem habet claram & vive coloratam; æger vero etiam a primo morbi insultu, statim pallet, atque obscurum plumbeumve colorem induit, unde nativus vigor perit & exolescit. Ac omnis ista mutatio tantum a fumis adustionis & inflammationis sulphureæ

excrementitiæ procedit, qui per omnia membra sese extendunt; & fuligine sulphurea, mediantibus poris corpus rarum reddentibus, usque ad superficiem eadem inficiunt. Posset etiam dici, pallorem eum & discolorationem a natura, sentiente se morbo aggravari, contingere, ea videlicet omnem sanguinem purum & mundum introrsum revocante, ut inde vires suas colligere, inde contra morbum pugnare, ejusque insultum sustinere possit, & per hanc occasionem partes exteriores claritate illa naturali destituantur & defraudentur. Quo quidem in conflictu partes exteriores terræ quasi & mortificatæ manent, atque ad obscuritatem vergunt, quia terra, in qua fit pugnæ initium, natura sua nigra est, prout contra ignis sua natura clarus & candidus est, tanquam duo elementa qualitatibus contraria. Terra igitur ex sua parte, utpote spissa & tenebrosa, nigredinem parit, & adustio sulphurea, fuliginosa & fumosa, similiter obscurat, qua ratione tam illa quam hæc corruptionis, destructionis & interitus in omnibus rebus causa est: & præter hæc duo nihil proprie est in hoc mundo, unde ruina universalis procuratur, quia cunctis rebus insunt, nec in compositis hisce inferioribus aliquid ab hoc malo exemptum est, quam aurum & lapides pretiosi, quæ natura ad perfectionem, quantum potuit, perduxit. Atque ita mors in omnibus reliquis corporibus instar perpetui hospitis est,

est, cogitantis illa occupare & tandem destruere. Natura autem, instar piæ matris & solicitæ conservatricis operum suorum, in eorum adjutorium duos potentes & subtiles pugiles armavit, ad retundendam adversariorum insolentium iram, quorum unus ignis est, adustionis sulphureæ exterminator, alter vero aqua, qui terrestres fæces separat & abigit. Sicut autem natura ingeniosa & subtilis est in omnibus suis operationibus, ita artem reliquit, pari subtilitate & industria dotatam, neque enim aliæ ad separationem viæ sunt, quam hæ duæ, quas ipsa natura a mundi principio tenuit, cujus prima semina informia, vacua & confusa mixtum in aqua dissolvebantur, ubi mediante igne Spiritus Domini illi incubante, primo nempe agente & motore in separatione chaotica, divisa & distincta fuerunt, unde continuo separatio luminis a tenebris insecuta est, formarum itidem distinctarum a confusione, generationum a sterilitate, & mortis a vita. Et si res ita confusæ mansissent in prima sua mixtione impuri cum puro, excrementi cum substantia, terræ cum cœlo, vitæ cum morte, omnia etiam mansissent destituta actione, potentia, essentia & vita, tota massa inutiliter in confusione sua jacente. Artista igitur hanc rem considerans, & nihil vires suas exercere posse observans, donec confusio excrementorum & impuritatum sublata sit, aquam & ignem in coadjutorium de-

ſumit, & quidem ad naturæ exemplum, cujus operationem curioſe obſervare debet, præſertim in metallorum generatione, quæ eo perfectiora ſunt, quo magis in terræ ventre mundificata & digeſta ſunt. Stet igitur firma & fixa hæc ſententia, ignem & aquam generalia & principalia ſeparationis eſſe media. Quia vero rerum compoſitio diverſa eſt, & una difficilius altera cedit, pariter quoque neceſſarium fuit, ut actio horum duorum diverſificetur, ita tamen, ne plana naturæ via relinquatur. In quibuſdam enim aduſtionem & ſulphur unctuoſum, inflammabile & inficiens uno modo extrahere oportuit, alio autem terreſtrem fæculentiam in aliis. Calcinatio cum ſublimatione ad purgandam aduſtionem inventa fuit, ad terreſtrem vero fæculentiam auferendam deſtillatio & diſſolutio in uſum venerunt. Ad conſervationem etiam debilium & facile inflammabilium corporum deſcenſionis uſus increbuit: omnes tamen hi modi aut per ignem fiunt, nempe calcinatio, ſublimatio & deſcenſio, per aquam autem deſtillatio & diſſolutio. Quia autem in libris antiquorum & modernorum auctorum de hiſce copioſa fit mentio, non faciam eorum largiorem explicationem, quia nihil novi, nec etiam ornamentum aliquod aut facilitatem addere poſſem. Sufficiet, ſi generaliter quidpiam tanquam definitivum, & mihi notum adjecero, videlicet, quod calcinatio ad res duras & rebelles

belles devincendas inventa sit, & quidem propter continuitatem & fortem compositionem, quæ impedit, ut, nisi per minimas partes dividantur, facilem separationem non admittant. Atque hinc quatuor utilitates proveniunt, quæ sunt: Combustio sulphuris impuri & fœtidi, Separatio facilior superfluæ & extraneæ terrestreitatis. Fixatio sulphuris interni, & Dissolutio promptior. Est enim natura ignis, consumere partes adustibiles, quæ non sunt de essentia substantiæ, facilitare divisionem & rejectionem excrementorum terrestrium, figere sulphur radicale, & multiplicare Sal in corporibus, quod solum postea dissolutionem per aquam patitur. Dico igitur, Calcinationem tantum convenire corporibus, propter continuitatem suam difficulter cedentibus, quia spiritus aut res volatiles & in igne facile fugientes sine additione rerum fixarum & earum naturæ repugnantium calcinari non possunt: cum calcinationis alius scopus non sit, quam ex omnibus rebus Salia extrahere, quia in illis melior pars & secreta virtus corporum & spirituum principaliter consistit, quibus adustio illa corrumpens adhæret, quæ ea de causa in omni sublimatione tanquam inutilis evaporare & non excipi debet, ut restans media substantia a fæcibus terrestribus melius liberetur, & per actionem ignis ad purificationem & fixationem deducatur. Hæc autem sublimationis praxis inventa fuit, quia

calcinatio, quæ non nisi extrema ignis violentia fieri potest, purum cum fæcibus absque ullo separationis aut purificationis progressu elevaret. Verum quidem est, quod sublimatio etiam aliqualem ignis fortitudinem requirat, sed hoc tum solummodo fit; quando res sublimandæ fæcibus aut calcibus corporis alicujus fixi profunde immixtæ sunt, ut ea ratione terrestres impuritates fortius & pertinacius secum cohibeant. Et hic sublimationis modus magis securus est, nisi in subjectis, sua natura fæces fixiores habentibus, labor suscipiendus sit.

Descensio usum duplicem habet, quorum primus est, ut oleum sine combustione ex vegetabilibus extrahatur, alter autem, ut corpora fusibilia mundificentur, antequam volatilia reddantur. Et hi quidem tres separationis modi sunt, qui per ignem fiunt, restat, ut de duobus reliquis, qui per aquam perficiuntur, nimirum destillatione & dissolutione aliquid etiam in medium proferamus. Et horum prior per inclinationem & filtrum fit, ut limpiditas corporum cum aqua in aquam dissolutorum prodeat. Ille enim, qui per alembicum perficitur, ad ordinem sublimationum pertinet; quia per elevationem & non per ablutionem fit. Quamvis autem hunc modum nonnulli pro indifferenti & parum efficaci habeant, mihi tamen nequaquam rejiciendus, sed magni æstimandus videtur, tanquam unus ex principalibus,

cipalibus, quo natura in operationibus suis utitur, & quem tanquam solum medium ad separandam immunditiem terrestrem, (præcedente tamen calcinatione adaptatam, & ad separationem habilitatam,) stabilivit, per quem etiam quælibet res ad exaltationem perfectionis suæ conducitur, ad puritatem nempe hoc destillationis modo elevata & sublimata, unde etiam a quibusdam Philosophis secreta sublimatio vocatur. Secunda operatio, quæ per aquam fit, dissolutio nempe, per calorem humidum & moderatum perficitur, qualis est, fimus equinus, Balneum Mariæ, vapor aquæ bullientis: aut per infusionem in aqua, aut per inhumationem in locis humidis. Horum tamen omnium unus finis est, reductio nempe rerum calcinatarum in aquam, ut per hanc liquefactionem in filtratione terrestris materia in fundo vasis resideat. Reiteratio vero hujus practicæ subtilis, & fere in omnibus rebus necessaria est. Si enim per continuam calcinationem quispiam simpliciores partes compositi separare, atque id quod Salis essentiam habet, in Sal reducere vellet, irreparabile damnum inde sequeretur. Intemperata enim & assidua flammæ violentia meliorem & majorem partem ejus, quod tanto studio quæritur, sublimaret, & ad fugam cogeret, ita ut nihil, præter parvam quantitatem materiæ solubilis, una cum magna fæcum quantitate, restaret, præterquam quod per lon-

gam moram in igne materia ista reliqua vitrificari posset. Melius igitur est, per excessum cujusdam præcipitantiæ naturam non violare, & patienter ad reiterationes confugere. Accidit mihi tale incommodum aliquando in crystalli communis calcinatione, quem cum ab excrementis purgare, & in veram essentiam per longam ignitionem reducere vellem, inveni eum cum fæcibus plane vitrificatum, atque ideo meo proposito & omnibus aliis laboribus inutilem. Quamvis enim crystallus clarus, lucidus & transparens appareat, fumus tamen primo niger, & deinde violaceus, qui in calcinatione occurrit, odor etiam fœtidus & sulphureus de terrestreitate ejus excrementitia testantur, sicut postea albi fumi insequentes veram homogeneitatem substantiæ indicant, quæ tandem clara & fluens in parva quantitate remanet, tantisper dum ad naturam & consistentiam puri salis crystallini devenerit: durantibus etiam hisce reiterationibus ultimis, odor ingratus, qui primo percipitur, in suavissimum & delectabilem, pulveri violaceo similem, mutatur. Ex reiteratione vero calcinationum, præter prædicta, duo adhuc commoda accedunt; unum, quod res calcinata per ignis consvetudinem medicamentis subtilitatem & stabilitatem afferat, prout antea dixi; alterum, quod corpus aliquod sæpius dissolutum, penetrationem, ingressionem promptam & subtilem, imo etiam

fortes

fortes vires ad transmutandum ſtatum patientis acquirat, a morbo ad ſanitatem, ab ægritudine ad vigorem, a deſtructione ad reſtaurationem & perfectam convaleſcentiam. Et hæ viæ ſunt ordinariæ omnium ſeparationum, quæ alium ſcopum non habent, quam ut puræ ſubſtantiæ ab excrementis corrumpentibus mundentur, atque ab inani terreſtri ſpiſſitudine ad puritatem igneam, & ut paucis dicam, ab imperfectione ad perfectionem eleventur. Quod etiam *Hermes* docere voluit, cum dicit, *terram ab igne ſeparandam eſſe*, ubi ſeſe ipſum explicat hiſce verbis, *& ſubtile a ſpiſſo;* quod etiam *ſuaviter & magno cum ingenio faciendum* præcipit. Dum enim de præparatione Spiritus generalis mundi, poſt terrificationem ſuam, loquitur, atque viam ſimul ad omnia individua præparanda aperit, ſignificare voluit, in hac terra latere aliquid, quod difficulter retineri & conſervari poſſit, ſpiritus nempe levis & volatilis, qui per temperamentum ignis conſervatur, contra autem facile cum parte ſeparabili, ſemper copioſiore, & in quantitate ſubſtantiam fixam vincente, evaneſceret, ſi in operatione ignis temperantia, & ingenioſa methodus cum magna patientia non adhiberetur. Ubi artiſta regulam ſingulari diligentia obſervare debet, diſtinctionem videlicet trium ſulphurum, quorum duo ſeparabilia ſunt, externum nempe, quod per calcinationem & diſſolutionem perit, & internum, per ſolam

decoctionem evanescens; tertium vero fixum vocatur, quod proprie sulphur naturæ est & proprium subjectum substantiæ, cui Philosophi agentis nomen, aut grani fixi, aut elementi ignis, in composito suo Physico, tribuerunt. Quod externum attinet, primum illud volatile est, & adustibile, quia plane extraneum, & primum ignis alimentum est. Internum vero magis unitum & in substantia radicatum est, atque ideo non cedit, nisi maximæ ignis violentiæ & continuationi. Hac de causa omnes assumit colores antequam exeat, incipiendo a nigredine, quod primum est terrestreitatis, adustionis & corruptionis signum, & antecessor putrefactionis & mortificationis. Postea transiens per alios medios sensim albedinem induit, qui color est aëreus, unde ad colorem igneum ascendit, rubedinem nimirum, in quo potentia artis & ignis imperium terminatur, ultra quem etiam non datur progressus. Quam rem Poëtæ fabulose sub inconstanti figura Prothei depinxerunt, qui in diversas figuras monstrosas sese convertebat, ad absterrendos eos, qui captivum illum sistere volebant. Hæc autem colorum varietas ab interno sulphure prodit, vero autore & productore omnium tincturarum & varietatum, quæ per naturam aut artem in omnibus subjectis observantur. Possunt etiam colores illi distincte in decoctione primi universalis subjecti notari, quemadmodum idem, ut antea recensui,

ſui, eos aliquando mihi produxit. Quam primum autem albedo ſeſe præſentat, apparet, etiam ſtatim *ſulphur naturæ*, quod *Geber extra album, intus autem rubrum eſſe* dicit. Hanc enim albedinem tandem rubedo ſequitur, ſine ullo alio niſi ignis adjumento, qui continuari & per gradus augmentari debet; unde Sapientum quidam dixit, *lapidem ſuum eſſe annulum aureum argento obductum*. Volui hæc obiter & paucis verbis de coloribus annotare, prout etiam omnes boni autores deſignarunt, non ut præparationes & operationes docere præſumam, quas ad abſolvendum magnum Elixir Philoſophorum tantopere deprædicatum & laudatum neceſſarias eſſe ſcio, ſed tantum ut monſtrem curioſis doctæ Medeæ diſcipulis, qui profunda quadam & ingenua inquiſitione inducti ſacrarium myſterioſæ Phyſicæ intrare ſatagunt, quæ in omnibus rebus ſulphura ſint vel auferenda vel retinenda. Spero autem, me ſatis bene tempus collocaſſe, quod negotiis meis œconomicis, quibus totum me mancipavi, ſubtraho, ſi tantum vigorem aliquem aut vitæ ſcintillam languenti illi naturalis Philoſophiæ parti reſtituere poſſem, quam invidi & gloriæ ejus infeſti vivam plane in calumniarum ſepulchro defoderunt, ſub transmutationis abuſivæ & falſificationis metallorum odioſo titulo; quanquam ſola veri magiſterii ignorantia eos impedit, ut veritatem diſcernere non poſſint, ſed con-

tume-

tumeliis eam aggrediantur & injuriosis verbis obruant, quorum solum fundamentum malitiosis impudentissimorum hominum mendaciis innititur, qui urbes transcurrunt, fumos vendunt, & falsissimas suas sophisticationes sacro pulcherrimæ hujus virginis pallio obnubulant & cooperiunt; cujus etiam figmentis nimis credulorum oculos decipiunt, atque instar Sirenum fraudulentarum curiosos viros in Charybdin & Scillam præcipitant.

CAPUT IV.

De spiritus ascensu ad cælum & descensu ejus in terram.

OMnipotens Deus, omnium rerum creator ab initio mundi prævidens infectionem & corruptionem, omnibus rebus ex corpore & spiritu compositis connatam, continuum & intestinum bellum moturam, certum aliquod remedium huic dissensui opponere voluit, ut unum conservetur & alterum non destruatur. Quia vero spiritus & substantia corpore includebantur, corpus autem corruptioni immergebatur, impossibile erat, corruptione vim corpori inferente & quasi victoriosa, spiritum in utrisque locatum immunem servari, & damnum non incurrere, vel potius cum corpore mortis jugum evitare posse, ut quæ sem-

per

per eo tendat, ut naturam obruat, & omnia individua tyrannidi suæ subjiciat. Quæ quidem res probatione non multum indiget, sed ex fine naturali, imo etiam interdum præcipitato, animalium, vegetabilium & mineralium sufficienter patet, qualem nobis ex corruptione accidere quotidie experimur, unde etiam, corpore mortificato, spiritus eandem fortunam subire cogitur, hoc est virtus ejus vivificans plane annihilatur. Quia vero admirabilis ille opifex in omnibus suis operibus ignem emicare voluit, mera sua bonitate & amore erga humanum genus inductus, quem ab omni seculo prædestinarat, ut esset instrumentum gloriæ suæ, subjiciens illi soli, quodcunque in creatione admirabile facturus erat, in ejus quoque commodum remedia quædam summa stabilivit, tum ut res creatas in usum suum purificare & perficere, tum etiam iisdem sese conservare, & contra mortalis hujus corruptionis insultum præmunire posset. Cum igitur sciret, duas hominis partes unam in altera creatas esse, spiritum nempe in corpore, corpus autem continue a corruptione infici, per sensualitatem præterea ad intemperantiam, veram corruptionem & omnium membrorum debilitationem inferentem quasi trahi & allici, prævidit, spiritum, in corpore hospitis instar habitantem, non posse a contagiosa depravatione eximi. Et certe plerunque aut etiam ordinarie videmus homi-

nes

nes intemperantiæ deditos, & sensualitatum excessibus addictos, ex iisdem causis pessi quoque mores induere, & in omni spiri aut mentis corruptela licentiam sibi sum amore & timore Dei, honore & respectu mu di, pietate erga suos & charitate erga pro mum longe posthabitis, ita ut impossibile si mortis tempore hisce inquinationibus con stricti maneant, spiritum, a pœnis liberum, evadere, quia voluptatum quoque particeps factus fuit. Videns insuper, omne genus humanum a primi parentis lapsu morti obnoxium esse factum, & inde quemlibet hominem interitum totalem inevitabiliter incurrere, miseriam hanc mirabili quodam & captum nostrum superante remedio mitigare aut potius redintegrare voluit. Cum enim sciret, hominem per spiritum & corpus cum cœlo & terra participare, voluit, ut remedium hoc similiter de illis participaret. Quod utique unico nostro Servatori, Restauratori & Conservatori, Jesu Christo, competit, qui de cœlo in terram descendit, & mysterio nobis sensuique communi incomprehensibili, absque Deitatis abdicatione, miraculose homo factus est, quia salus a terra sola proficisci non poterat, ubi corruptio regnat, sed necesse erat, ut aqua ex supernis deflueret, ubi puritatis fons est. Venit igitur in terram, ut in nobis & cum nobis habitaret, atque in terminis justitiæ & temperantiæ nos concluderet, rege-

nerans

rans nos ad vitam novam per mutationem
iritus & corporis, mortificans in nobis cor-
ptionem & peccata, & viceversa purita-
& virtutum studium restituens. Quod
idem perfici non poterat, nisi per il-
solum, propter duarum naturarum ex-
itates, quas habere debebat. Divinæ enim
umanæ naturæ fuit particeps, ut res supe-
es cum inferioribus conjungeret, quæ per
stantiam incomparabilem mortis & vitæ,
rruptionis & puritatis invicem diffidebant.
Terra certe inæstimabilem hunc thesaurum,
meisti sui conditionem longe superantem,
mediurn, quod comprehendere non po-
t, recepit, a qua, post regenerationem per
aquam purificationis, & ignem Spiritus Sancti
nobis relictam, ad cœlos iterum ascendit, ab
accidentibus & corporalibus passionibus pla-
ne quidem immunis, corpus tamen suum non
deponens, quod incorruptibile & glorifica-
tum retinuit, per mortem videlicet immorta-
litate acquisita. Et a dextra patris in terram
iterum descendet, post universalem conflagra-
tionem, ad mundum renovandum atque ad
faciendam separationem bonorum, ad vitam
destinatorum & exaltatorum, a malis ad mor-
tem depressis & condemnatis. Vide nunc,
quam bene summus Pater omnis misericor-
diæ hominis saluti consuluerit, cujus corpori
cum anima conjuncto similiter conservato-
rem

rem tribuit, quem cœlum nobis demisit, ut in mundo nasceretur, & quem per lumen naturæ inquirere debemus; cum homo ob hanc causam ratione & judicio præditus sit, ut dona oblata cognoscere & comprehendere debeat. Homo autem ad hujus beneficii indagationem creatus tanquam cœlestis, sortis suæ oblitus est, impendens potius id, quod nobile & divinum in se continet, ad nescio quas vanitates frivolas & transitorias, quam ad sapientiæ & solidæ veritatis inquisitionem: &, ut breviter dicam, maluit inclinationem terrestris suæ genituræ sequi, quam divinam & cœlestem intelligentiam, qualem quasi longe a sese distantem reliquit, tanquam rem indifferentem, & ex supernis casualiter sibi transmissam. Quam ob causam omni tempore radix humana, quasi extincta, antequam lucem aspiceret, (exceptis tamen quibusdam, quos astrum mitiori & magis favorabili oculo in nativitate sua respexit,) magis possessionem thesaurorum & bonorum transitoriorum, quam cœlestium donorum & pretiosarum divitiarum acquisitionem concupivit, quas optima mater natura publice & omnibus in locis ad salutem & conservationem vitæ ejus stabilivit, læsa potius quam adjuta per abundantiam & ingluviem corruptioni mortali communiter immersam. Atque clare apparet, eos, qui vulgo spiritu aliquo altiori dotati sunt, quamvis harum infinitarum divitiarum splen-

ſplendidum fulgorem aliquo modo conſpexerint, non tamen niſi in ſuperficie hærere, & divinam virtutem, in centro occultatam, tanquam degeneres relinquere. Quod quidem multorum errorum non ſolum in Medicina, ſed & in Philoſophia eorum cauſa extitit, quas ambas quaſi rependo & in obſcuris incertitudinis ſpecubus titubando pertranſeunt, quia vivo lumine deſtituuntur.

Revocans igitur animum ad claram lucem, cujus ductu ſalutaris maxime & ſummi remedii compotes fieri poſſunt, quod a Deo particulariter ad conſervationem humani generis, & ad effluentiam benedictionis cœleſtis obtinendam deſtinatum eſt, conabor cum omni humilitate & requiſita ſinceritate atque profeſſioni meæ conveniente, non tanquam Theologus, ſed ſicut ſimplex Philoſophorum diſcipulus, nativas quaſdam conceptiones meas rudi quaſi creta adumbrare, quas amatores veritatis grata mente, ſi placet, accipiant, prout rationabiles eas invenerint.

Dico igitur, doctrinam aut intelligentiam, omnem homini cuipiam ab homine ſolo communicatam incertam & confuſam eſſe, quia ordinarie laborat ignorantia & tarda reſolutione; eam autem, quam a lumine univerſali accipit, clariſſimam eſſe, & fundamento immoto niti. Abſolute enim ſcire eſt, rem per cauſas primas cognoſcere, nec unquam certitudo in cauſis ſecundus eſt, donec ad earum

originem perventum sit. Qua de causa specierum natura cognosci non potest, nisi cognitio generis earum præcesserit; nec microcosmorum naturæ, (quorum numerus infinitus est,) apertæ satis erunt, nisi magni mundi natura primo innotuerit, qui illis essentiam dedit. Homo etiam bene cognosci non potest sine præcedente cognitione macrocosmi, cujus hic effigies est, non magis ac macrocosmus sine scientia, unde & quomodo ille factus sit. Qua enim ratione hominem cognoscere quis possit, qui in suo principio nihil aliud est, quam pauca mucilago informis, aut quomodo ad perfectam notitiam ejus quis ascendat, nisi cogniti sint illi, qui eum genuerunt, non quidem secundi parentes, pater nempe & mater, verum primi, cœlum videlicet & terra. Et nisi horum quoque creationem primam quis intellexerit, quomodo eorum cognitionem habere poterit? Simili modo ac hominis limbus in matrice jacet, ubi nihil aliud est, quam pauca congregatio humoris, qui postea ad exemplar parentum formatur, & per eundem progressum & modum donec perfectus fuerit. Ita cœlum & terra, & omne quod illis inest, h.e. totus hic magnus mundus, est instar limbi in chao, unde nemo lumen aliquod habere potest, nisi prima rudimenta & progressum distinctionis & formationis ejus consideraverit. Abeamus igitur ad origines, ut rivos inde descendentes cognoscamus, & per exemplar for-

marum

marum res formatas judicemus. Dico igitur, quod primus & absolutissimus creator, (qui est instar puncti, unde omnia exeunt, aut instar fontis inexhausti, unde infiniti rivuli effluunt,) naturam habeat sibi propriam & particularem, quæ est, omnia in universo producere & conservare. Est enim proprium perfecte boni autoris, res producere & procreare, deinde easdem conservare & sustentare, postquam eas creaverit. De hoc primo effectu, qui creatio est, secretum omnes nos latet, idque nos intelligimus, quam per effigiem in generationibus.

Secundus autem apertus est, saltem illuminatis, tanquam electis & natis de spiritu, non quidem filiis carnis, ne pretiosæ margaritæ indigne prostituantur, & impuris stupidisque porcis offerantur. Primum & excellentiorem *Jesus Christus*, Dominus noster, modo antea declarato perfecit & nos docuit, qui sese imitari nos jussit in omnibus rebus, ineffabili mysterio seipsum omnium bonorum operum, quæ in mundo fieri debent, exemplar constituens. Natura enim semper eodem passu ambulat, ut nunquam vias suas relinquat, sed eas exactissime in cunctis operationibus observet. Prout igitur Parens & communis Conservator communi rerum conservationi a mundi principio sua provisione consuluit, ita natura a principio suas habuit intentiones, & semper actione continua circa productiones occupa-

ta fuit. Sicut enim necessarium erat, ut salus ex supernis ad conservationem partis spiritualis in homine descenderet, ita eadem necessitate conveniens erat, ut corporis quoque salus ex eodem fonte scaturiret, quia ex infernis, ubi sedes & habitaculum corruptionum mortalium est, nec salus, nec vita provenire possunt. Qua etiam de causa cœlum, tanquam perpetuus omnis instaurationis & p rfectionis fons, suarum virtutum influxu continue in corpus terræ defluit, quod astra benevola, aspectibus suis benignis & cum afflicta humani generis sorte quasi compatientibus indies gratiose prosequuntur, ad generandum in illa per suas influxiones spiritum durabilem & vivificantem, qui in sinu fœcundæ hujus matris corpus assumit, & virtutes suas per omnes mundi partes manifestat & dilatat, distribuendo illas singulis creaturis secundum exigentiam. Et hinc vires particulares dependent, per effectus suos in herbis, bestiis, lapidibus, aliisque rebus cognoscendæ, quæ de spiritu hoc generali potentissimarum proprietatum infinitatem hauserunt, & in corporum nostrorum & omnium aliorum conservatione miracula quasi perpetrant. Sicut vero Deo perfectione Filii sui homines, secundum extensionem naturarum eorum, ditare placuit, & tamen noluit, ut quilibet vitiis aut peccatis contaminatus remedium & perfectam salutem penes suum simile quæreret, sed apud eum

eum ſolum, qui verus erat Oceanus, unde illis hæc perfectio promanabat, ita etiam natura, exacta divinæ voluntatis obſervatrix, & operum imitatrix, perfectam curationum & reſtaurationum virtutem non ſtabilivit in herbis & creaturis particularibus, ſed voluit, ut eam præciſe in centro quæramus, unde hæc illis communicata fuit, nempe in terra, ubi hic ſpiritus vivificans generatur. Si enim ſimplicia dotata ſunt virtute curandi, reſtaurandi, nutriendi & conſervandi, quanto magis illa abundabit diſpenſator generalis, a quo omnes res eam recipiunt? Ut autem probemus terram eſſe theſaurariam & harum virtutum diſpenſatricem, ſola quotidiana experientia ſufficientes nobis miniſtrabit rationes. Neceſſarium enim eſt, ut omnes illas poſſideat, alias eas dare non poſſet. Admiratione igitur dignum eſt, tot viros egregios ſtudiorum ſuorum & practicæ tempus eo impendiſſe, ut è ſimplicibus rivis, a limpida & pura ſcaturigine longe remotis, & impurum limum aut terram immundam percurrentibus aquas ſuas haurire, quam directe ad verum fontem pergere maluerint. Nolo interim medicamenta ſpecialia contemnere, ſed hoc tantum vellem, ut generale diligenter quæratur, particularia tamen non negligantur. Quamvis enim generale illud ad omnes curationes ſufficiat, ſpecialia tamen ſuam quoque laudem merentur, præſertim in morbis quibuſdam exterioribus,

& superficiem tantum, non autem sanitatis centrum affligentibus.

Ut igitur ad scopum redeam, dico iterum, terram esse matricem, in qua cœlum spiritum illum nutritorem, restauratorem & corporum conservatorem genuit, a quo solo omnis soliditas & curationis perfectio hauriri potest & debet. Quomodo autem spiritus iste tam potens & summe efficax inveniendus & capiendus sit, omnes sane prudentes homines, ad tam utilem inquisitionem sincere aspirantes, eo cogitationes suas dirigere debent, ut semper exemplaris, divina manu designati, vestigia observent, quod etiam ipsa natura suis intentionibus perficiendis sequitur, & pro regula tenet: quamvis Deus infinite naturam excedens, non sit ullo modo rationibus naturalibus alligatus, non magis quam summus aliquis Monarcha legibus a se præscriptis, quas tamen subditi populi observant sine ulla inquisitione, cur ita eas præscripserit. Quis autem fidelius aut felicius hoc exemplar insecutus est *Hermete Trismegisto*, qui post diluvium primus, (ut quidam statuunt,) hominibus mysteria perfectæ cognitionis Dei aperuit, & naturæ etiam secreta exactissime rimatus est? Præterquam enim quod angelico quasi modo *Divinitatem* in *Pœmandro* explicuit, ubi admirabili doctrina creationem magni & parvi mundi, ejus principium, progressum & durationem manifestavit, & continuans eodem filo sacram hanc

hanc Philoſophiam in *Aſclepio*, ſpiritu & voce quaſi prophetica excelſe admodum declarat, *quod hominis regeneratio, mediatione filii Dei, humana carne induti, fieri debeat.* Veruntamen induſtrie etiam eundem ſcopum in *tabula Smaragdina* tetigit, ubi dicit; *quod quemadmodum omnes res mundi ex uno ſolo ſubjecto, mediatione unius, Dei nempe, creatæ ſunt, ſuum etiam magiſterium, quod ſumma & generalis medicina eſt, ex hac unica re perfici & compleri debeat adaptatione.* Adaptatio iſta nonne ſpeculum eſt, ubi ænigmatice meditationem divinam repræſentatam videmus, ad demonſtrandum, naturam neceſſario ſequi veſtigia magiſtri ſui? prout etiam aliis in libris teſtatur, *autorem regenerationis ad ſalutem de cœlo deſcendere & hominem fieri debere, inter homines viventem ad eorum ædificationem.* Pariter in *tabula ſua* dicit, (quam inſtar teſtamenti & teſtimonii ultimi de excellentia altarum ſuarum conceptionum reliquit,) *quod ſpiritus hic generalis conſervator corporum, quem parentem perfectionis totius mundi nominat, de cœlo deſcenderit,* a Sole *nempe & Luna,* (quales *in Pœmandro monarchiæ hujus mundanæ principales gubernatores* nominavit,) *ad aſſumendam corporeitatem in terra, quam nutricem ejus vocat, per mediationem aëris,* de quo dicit, *quod in ventre ſuo illum portaverit, quia influentiæ cœleſtes terræ non poſſent communicari, niſi aër, qui primus illas recipit, inſtar mediatoris eas portaret, iiſque pro vehiculo ſerviret.* Et ſicut divinus noſter reſtaurator & animarum protector in aſ-

ſumptione carnis humanæ de ſua divinitate nihil depoſuit, ita dicit etiam, *ſpiritum univerſalem corporum conſervatorem retinere & ſervare vires ſuas integras, cum in terram verſus fuerit*, h.e. *quando corpus terreſtre aſſumit*. Voluit inſuper Deus filium ſuum proprium redemptorem noſtrum in humanitate ſua aſſumpta per aquam Baptiſmi & ignem Spiritus ſancti quaſi regenerari debere, non quod in centro naturæ ſuæ ulla purgatione egeret, ſed tantum quia in mundo & inter homines corruptione contaminatos verſabatur, quibus ſeſe in omnibus & per omnia exemplar renovationis & purificationis præbere voluit, dans eis viſibile & ampliſſimum teſtimonium, quod ſecundum carnem ejuſdem cum illis naturæ eſſet, non quidem contaminatus aut corruptus, ſed paſſioni obnoxius & mortalis æque ac illi. Similiter optima mater natura voluit, ut primogenitus ſuus, in ſuo quidem centro ſubſtantia pura exiſtens, renovaretur tamen & quaſi regeneraretur per aquam & ignem, h. e. per ſeparationem partis terreſtris ab ignea, ſpiſſæ a ſubtili, & unico verbo, impuri a puro. Quod *Hermes* etiam intelligit, quando jubet, *terram ab igne ſeparari debere*. Homo enim ſeparare non debet, quod Deus conjunxit, ſed ſolum impurum & groſſum a puro & ſubtili ſubſtantiæ hujus terræ, & ab igne proprio, quæ ſunt partes aut elementa ſpiritus noſtri corporificati.

Præter

Præter autem hunc ſenſum, qui prior oculis intellectus noſtri ſe præſentat, alius adhuc eſt occultior. Cum enim per ſeparationem terræ ab igne ſignificaſſet illam, quæ eſt groſſi a ſubtili, voluit etiam innuere, quod qualitates naturales horum duorum elementorum ſeparare oporteat, detrahendo humidam frigiditatem terreſtribus & gravibus rebus admixtam, ſine quibus illa ſubſiſtere non poteſt, ad induendam calidam ſiccam, quæ de natura ignis eſt, & per conſequens levis & ſpiritualis: Quá de cauſa adjungit, *quod aſcendat de terra ad cœlum*, nempe *ab imperfectione ad perfectionem*; *Paracelſus* enim *ignem firmamentum* vocat. Sicut autem nihil ad cœleſtem perfectionem pervenire poteſt, niſi prius imperfectum groſſum & mortalem corticem depoſuerit, in quo proprie qualitas hæc frigida abundat, cauſa omnis mortificationis, ſicut calor vitam contra generat; ita etiam ſapientiſſima natura hanc regulam conſtituit, quod ſuum ſubjectum obſcuram mortis nigredinem ſuſtinere & tranſire, atque claram candidamque immortalitatem & vitæ renovationem expectare oporteat, h.e. eſſentiam impaſſibilem, ſuper quam nec ignis nec corruptio ullam habeant poteſtatem. Et certæ vitæ iſta acquiſitio per mortem naturaliter in omnibus creaturis vitalibus quotidie exercetur. Omne enim ſperma aut ſemen animalium in matrice mortificatur, & vegetabilium in terra, antequam vegetabilis accretio

aut ſpecificatio fieri poſſit. Quod ſi regula illa in membris locum habet, quanto magis & exactius in capite illa obſervanda & directe imitanda eſt? & ſi per hanc mortificationem vita acceſſorii durabilitatem aliquam acquirit, quanto propius principalioris perpetuitas accedet? *Jeſus Chriſtus* ipſe haſce res nos docuit *per ſimilitudinem grani*, quod dicit *fructificare non poſſe, niſi prius moriatur, ſignificans myſterium reſurrectionis ſuæ, quam mors ejus præcedere debebat.* Voluit enim mori, ut ad perpetuam & glorioſam vitam reſurgeret, in eo ſeſe nonſolum hominibus exemplum, ſed etiam totius naturæ ideam exprimens. Divinus ille & doctiſſimus Eremita, *Morienus Romanus*, reverenter & ſæpe ab omnibus Philoſophis naturalibus allegatus, qui ab aliquot nunc ſeculis ſcripſerunt, idem *de grano fixo* dixit, *cui natura poteſtatem metalla perficiendi & multiplicandi dedit.* Ait enim: *Niſi putreſiat & nigreſcat, perfici & accompleri non poteſt, & ad nihil revertitur.* Sumpſi mihi licentiam hoc dicendi, ut tyrones doceam, quomodo creator per ſimplices creaturas agnoſci debeat. Et quia homines vulgares cognitionem hanc ex rebus remotioribus mendicant, eodem plane modo agentes ac illi, qui perfectionem ſcientiarum ab ultimæ claſſis diſcipulis petunt, cum a primis ſcholarum directoribus & doctoribus eam poſtulare deberent, volui eos per haſce naturales conceptiones excitare, ut animæ ſuæ rationalis excel-

excellentiſſima dona ad inquiſitionem principii generalis, & quidem in rebus exquiſitioribus, vitam nobis & omnibus creaturis mortalibus impertientibus & conſervantibus, convertere velint.

Mortificatio igitur neceſſario præcedit, omnem introitum ad vitam,& principaliter in hoc ſpiritu, naturæ filio primogenito, quando corpus aſſumpſit; aliter enim ab eo nemo id ſeparare poterit, quod regenerationem ad vitam & purificationem eſſentiæ ejus impedit. Non quidem quod per combuſtionem & deſtructionem ignis corpus ſuum in hac morte amittat, quemadmodum nec per putrefactionem; verum eo modo,ut in germinatione ſeminum putrefactio non annihilat hoc, quod in illis corporificatur.Ob illam cauſam in exaltatione Mercurii aut Spiritus univerſalis poſt primum gradum,qui per ſeparationem in ejus præparatione fit, omne illud, quod corporeum & ſpirituale reſtat, volatile fit, quia virtus ſublimatoria in eo fixatoriam adhuc ſuperat. Fixum tamen volatile tandem ſecum retinet, adjutum actione calores, qui vires duorum nobiliorum elementorum augmentans poteſtatem duorum imbecilliorum totaliter deſtruit. Illud ipſum *Hermes* in tractatu quodam innuere voluit *per avem plumoſam ab ave implumi detentam*: & *Nicolaus Flamellus per duos dracones, alterum alatum, alium vero alis carentem, quos in arcu aliquo cimeterii Pariſienſis*

des

des Innocents repræsentavit; & in alia *tabula lapidea ad latus magni Altaris Ecclesiæ S. Geneve ese des Arduns*, quam ædificari curavit. Sed ne nimis labyrinthis hisce Dædaleis implicemur, nonne videmus, omnia vegetabilia semper crescere & sursum in aërem fortitudine hujus Spiritus volatilis elevari, qui adhuc altius, ut in libro primo dixi, propter desiderium revertendi ad locum unde exivit, eas eveheret, si propria sua terra & corporali massa non sisterentur, in qua nescio quid fixi residet. Ne autem contradictionis per quosdam accusemur, in communibus Philosophorum terminis non admodum versatos, volo me non nihil explicare, & dico, quod non intelligam, hanc spiritualitatem volatilem esse id, quod antea sulphur volatile & separabile dixi, hoc enim corruptionis potius autor est, sed simplicissimam partem tantum vaporis istius primævi, qui internam suam subtilitatem & acuitatem nunquam amittit, cujus natura est, elevari & tendere ad perfectionem. Sublimare enim proprie, secundum verum sensum Philosophorum, nihil aliud est, quam perficere, & materias ab imperfectione ad perfectionem exaltare. Ut igitur hic Mercurius substantiam habet elevabilem, ita etiam habet fixabilem. Prima ex sua natura illi innata est, secundam autem, quamvis in centro suo habeat, h. e. in potentia, non potest tamen effectum suum, nisi per artis auxilium, sortiri. Atque ut clarius monstrem,

ſtrem, quibus viis natura in ſuis operationibus procedat, rationi conveniens eſſe puto, ut de fixationis cauſis & modo aliquid proferam.

Indubitabile igitur axioma, in principio hujus libri allegatum, repetens, quod in ordine & conſtitutione mundi regula infallibilis & perpetua obſervetur, omne, quod vitam habet, durationem etiam aliqualem in ea habere debere, & nihil ſub cœlo productum eſſe, quod non habeat in ſe aliquam vitæ ſpeciem, dico, hanc durationem fieri per conſervationem ad perpetuitatem aſpirantem. Naturæ enim ſcopus eſt perpetuatio, cum boni opificis ſit, opus manuum ſuarum ſemper conſervare velle, ſaltem eo uſque, donec per temporis injuriam corrumpatur, aut lumen vitæ a frigidis mortis pruinis extinguatur, ad cujus pedes neceſſario omnes res enatas proſternere ſeſe oportet, per legem inevitabilem, ut quicquid initium accipit, finem quoque accipere debeat. Si enim res in ſuo primo extremo manerent, quod eſt naſci aut incipere, ſine progreſſu ad ſecundum, quod eſt mori aut finire, omnia adhuc in ſuo Chao relicta eſſent, vel ut melius dicam, nihil conſiſteret in ſuo eſſe, & principia omnium ſubjectorum inutilia, imo etiam a ſeipſis deſtructa eſſent. Ad evitandum igitur hoc inconveniens, natura dictum ordinem & rerum progreſſum ſta[illegible]t, exiſtens nempe in continua actione &

motio-

motione, h. e. conservatione & perpetuatione. Quod vero vitam extendit, aut quod eam conservat, sine aliqua fixatione & consistentia, contra impetus destructionis durabili, subsistere non potest: & hæc essentia conservatrix in quibusdam speciebus magis fixa est, quam in aliis, unde etiam longioris & magis durabilis vitæ sunt, ut quæ difficilius destruantur & mortificentur, sicut cervus aut corvus inter animalia, quercus inter plantas, & aurum inter mineralia. Id quod ex commixtione elementorum, in illis magis æquabili & digesta accidit, ita ut mors, cujus proprium est dividere & disjungere, non tam facile hæc composita intrare possit, utpote firmiter colligata & forti digestione unita; & quo magis corpora duobus hisce remediis dotata sunt, tanto minus accidentibus mortalis corruptionis subjiciuntur. Quia autem natura ex seipsa perfectionem hujus unionis & digestionis attingere non potest, impossibile etiam illi est, totaliter corpora a finali destructione salvare & conservare. Artis vero industria, quæ illam semper vincit, (quamvis ars per hanc conducatur, & ex se sola nihil valeat,) res hasce considerans, illam imitari, & quidem per propriæ viæ cursum separare conatur. Dum enim conservationem & prolongationem vitæ in omnibus corporibus per rem ad fixationem tendentem fieri observat, quæ ipsa per unionem & digestionem pro-
dit,

dit, (nihil enim figi poteſt, niſi ſit homogeneum & unius ſolius naturæ,) artiſtæ eo allaborandum eſt, ut eandem rem fixabilem invenire, & ad perfectam fixationem deducere poſſit, & quidem per eaſdem vias, ordinem & operationem naturæ, nempe per extranearum partium ſeparationem & unitionem homogenearum, longa & ingenioſa rerum unitarum digeſtione abſolvendam. Quia vero poſſibile non erat, illam ſeparare, aut ex corporibus individuis & ſpecificis extrahere propter hanc unionem compactam, & digeſtionem nimis fortem in illis jam factam, cogitur eam in illis matris quærere, quæ genitrix ejus eſt, videlicet in terra, unde omnia procedunt. Illa enim aliunde, in prima virtute integram, extrahere, inutile eſſet opus, & res plane impoſſibilis, cogitare vero, quomodo ei reddatur, labor foret longus & dubius, qua de cauſa certus quiſpiam Poëta convenienter dixit:

Hic ſive nullibi illud eſt, quod quærimus.

Et certe illi peſſime decepti ſunt, qui, vias devias & tortuoſas inſecuti, in communi ſignificatione & cortice verborum Philoſophicorum hærent, & vivam medullam intentionis eorum invenire non ſtudent. Debebant ergo primo infernali Junoni litare, ibi enim eſſet caput & fons rerum. Prudentes & naſi emunctioris homines ex radice opera ſua incipiunt,

unt, & non ex ramis, *eligentes*, ut doctissimus *Bacon* ait, *rem, super quam natura tantum primas operationes incepit, per unionem & mixtionem proportionatam puri & vivi Mercurii cum simili Sulphure in massam solidi congelati.* O sacra verba, in quibus bonus hic Anglus, vel potius Angelus, unicam illam & veram materiam clare depinxit, de qua omnes Philosophi tot voluminibus, sub diversis figuris, & fabulosis ænigmatibus, scripserunt, non ad occultandam eam malitiose, sed ad cognitionis hujus privilegia doctis & piis viris conservanda, qui semel assiduis studiis, & laboriosa experientia eam investigatam, obvelant & suo modo ornant. Ne autem suspicionem quibusdam magistris moveam, quasi improprie & per ignorantiam hunc locum allegem, & intelligere velim, hanc materiam tam ingeniose a *Bacone* repræsentatam primum & generalem Spiritum esse, quem pro subjecto hujus libri sumpsi, velim eos credere, me differentiam inter patrem & filium, sive inter genitorem & generatum, vel productorem & productum optime intelligere, neque erubescere, sine omni vanitate aut arrogantia dicere, me hunc æque ac illum ratione & experientia cognitum habere. Voluit enim hic sapiens inquisitores principiorum mineralium ad confectionem lapidis Philosophorum instruere, manifestando illis primam materiam metallicam per naturam præparatam, com-

positam

positam & ſpecificatam: Ego vero tracto de materia univerſali nondum ſpecificata, quæ proprie materia prima hujus primæ materiæ metallicæ appellari poteſt, tanquam generaliſſimum genus generum a *Raymundo Lullio* adeo celebratum, uſus autem ſum hac ſententia pro exemplo & authoritate, ita tamen, ut nihil abſurdi ſubſit, cum Spiritus univerſalis communis parens ſit Mercurii & Sulphuris, contentorum & proportionatorum a natura in hoc unico ſubjecto philoſophico. Vellem autem, ut artiſta curioſus hic duas res conſideret, quarum prima eſt, ut ſubtili imaginatione eligat naturam vivificantem & aptam ad conſervationem omnium corporum; altera, ut eliget rem, quæ de ſeipſa vivificare ſe & regenerare poſſit. Nollem tamen intelligi, quod oporteat duas res aut materias diverſas & ſeparatas accipere, unam nempe agentem & alteram patientem, ſed unam tantum, quæ ſimul virtutem habeat, ut vivificet & vivificetur.

Quoad activam vivificationem ſufficienter jam diſſerui, ſed quantum ad paſſivam dico, quod omne principium originem ſuam in ſeipſo habeat; ſi enim aliunde naſceretur, jam principium non eſſet. Et quia eſſentiam omnibus rebus dat, neceſſarium eſt, ut dum illas generat, ex ſeipſa inſtaurationem & perpetuam plenitudinem hauriat; qua de cauſa in continua actione & motu ad vivificationem eſt, a

quibus interitus ejus impeditur, quia nunquam seipsam desereret, utpote quæ motum ex seipsa, & in se habeat. Quod etiam *Macrobius* subtiliter disputavit in *Commentario super Scipionis Somnium*, discurrens de anima hominis, quamvis, ut ego quidem puto, ejus disputatio melius possit ad animam vel spiritum mundi adaptari, qui subjectum meum est, de quo nunc tracto. Ex illius igitur argumentis hoc mutuabo. Omne quod de seipso movetur, principium motus est, & continue vivit: ille autem qui continue vivit, non potest habere vivificatiouem quam ex se, est igitur ipse vivificabilis; Spiritus autem generalis mundi talis est. Et quia in terra sese in corpus convertit, sive ut melius dicam, quia ibi sedem suam ad sese corporificandum & in terram convertendum accipit, *in qua*, ut *Hermes* dicit, *omnes ejus virtutes, actiones & qualitates integræ manent*, sequitur, cum vitalis sit, illum ex se reassumere vitam propria virtute se restaurando. Idem in hoc Mercurio universali etiam observamus, qui in sua minera nutritur & semper instauratur, ita ut si extrahatur quovis modo, semper tamen iterum in eam formam crescat, qua antea fuit; & quocunque loco projicietur, nunquam ibi futura est ejus inopia. Non quod dicam, illum ex terra generari, sed in terra, per cujus omnes partes ille repit, per multiplicationem & vegetationem continue sese extendens. Quod antiqui etiam

per

per *serpentem* significare voluerunt, *quem Moyses super terram repere, & de pulvere ejus nutrire se dixit*. Atque hoc est, quod *Cabalistas* movit, ut *principem sepulchrorum* eum vocarent, quia corpora jacentia devorat & consumit, quando in terram ea convertit. Non quidem, quod corpora mortua aut terra alimenta ejus sint, verum quod sedes tantum, ubi pascitur & alimentatur, existant. Hic est locus, ubi movetur, vertitur & sine intermissione fluit, qua de re *Medea Jasonem* admonet, cum ait *(in Epistolis Heroidum Ovidii :)*

Pervigil ecce draco squamis crepitantibus horrens
Sibilat & torto pectore verrit humum.

Quos versiculos autor rythmis Gallicis ita expressit.

Voicy le dragon veillant, de fureur forcené,
Qui d'ecaille bruyante a le corps entourné,
Dont le gosier siflant fumée & feu deserre,
Et qui par replis tors va baliant la terre
De sa large poitrine en la poudre imprimant
Les finueux sillons, qu'il trace incessament.

Et hi Latine ita reddi possunt:

Aspice squamosum tumidumque furore draconem
Semper in excubias aures frontemque minacem
Fibrantem, & nullo cladentem lumina somno,
Qui crista linguisque tribus præsignis, & uncis

Dentibus horrendus, patulo de gutture flammas
Sibilat, & fumis atratis inficit auras.
Aspice multiplices gyros, quos pondere cauda
Insinuat terra, cum longa volumina ducit
Perque superfitiem reptat, cum pectore lato
Verrit humum, relegens eadem vestigia semper

Volui duas hasce considerationes adducere, nonsolum ut demonstrem, quomodo Mercurius hic inquiri debeat, sed etiam ut confirmem, illud, quod fixabile in se continet, nihil aliud esse, quam essentiam hanc vivificantem, quæ debito modo fixata vitam in omnibus corporibus, quæ intrat, perpetuat & conservat, puritate sua excrementa abigens, & res imperfectas perfectione sua perficiens. *Finis* fixationis tam naturalis quam artificialis, perpetuatio est & conservatio, quæ fiunt mediante tinctura, quam Mercurius hac fixatione acquirit. Tinctura enim vere vita est, & vita nihil aliud est, quam quod cooperit, pingit, & corpus tinctura ea colorat, quæ vitale illud esse demonstrat, & quæ cum morte perit & terminatur. Natura igitur voluit, ut sanguis, in quo vita consistit, rubro colore tingeretur, & quanto purior, clarior & in rubore vivacior esset, corpus in effectu magis sanum, pulchrius, alacrius, & vigorosius esset & appareret. Sicut contra eodem per accidens turbato, densiore reddito, nigra & adustabile onerato, aut in falsos colores mutato, corpus rigorem mali

in

in interioribus sentit & patitur, & extra per discolorationem testimonium præbet. Idem in vegetabilibus observamus, quorum vigor vitalis ex grata viriditate apparet, qua mutata, interitus & via ad mortem denunciatur; quemadmodum etiam in metallis perfectio aut imperfectio per colores eorum discernitur. Aurum ex se virtutem magneticam habet, quæ cor humanum fulgore splendente tincturæ suæ trahit, in qua natura omnes vires suas impendit, reservata tamen artis industriæ victoria, ut per graduationem supremam, quam splendori naturali adjungit, infinite eam superare possit, unde & nomen Solis terrestris acquisivit. Artista igitur labore suo colorem aureum, (in cujus pretioso opere perficiendo natura vires suas omnes impendit,) usque ad summum gradum ruboris obscuri exaltat, qua augmentatione metalla imperfecta in certa quantitate, ratione gradus naturalis, per projectionem tincturæ hujus artificialis altius ascendunt & colorantur, eo ipso monstrans, quod color iste aureus per naturam in aurum introductus, tantum via aliqua sit ad rubedinem, in qua completio perfectæ virtutis ad conservandum & multiplicandum jacet. Qua etiam de causa hoc metallum, quamvis præ aliis excellentissimum, perfectionem tamen ex se nullam, nec totalem conservationem corporibus humanis communicare potest, prout milleni decepto-

res Alchimistæ & inertes plane Physici suis amalgamationibus, fusionibus, dissolutionibus sophisticis, alii autem infusionibus phantasticis & confectionibus ridiculis sese facturos sancte affirmarunt & polliciti sunt. Si vero curiosuli illi paulo altius in hunc Oceanum mirabilium rerum penetrassent, cognovissent utique summum illum ruborem acquisitum accidens esse inseparabile, miracula sua per excessum caloris producens, qui tamen nihil nisi impuras superfluitates consumit, & non substantiam corporum, quam potius conservat & in omni æquabilitate multiplicat, quamvis Philosophi eam tantum ignem vulgarem superare dicant, quantum ignis vulgaris calorem naturalem animalium.

Paracelsus equidem in tractatu *de tincturis* magnis laudibus eam extollit, *quæ ex auro cum spiritu vini extrahitur*, eique multas virtutes singulares tribuit, sicut & illi, *quæ ex Antimonio & ex corallo præparatur*. Quibus adhuc *Mercurii tincturam* præferre videtur, *quem totum tincturam fieri* dicit, *si ad perfectam fixationem deducatur, eamque penetrare corpora per simplicissimas etiam particulas ob puram suam subtilitatem*. Ubi nequaquam illum Mercurium vulgarem intellexisse credo, sed Philosophicum, in quem solum ars juvans naturam duas hasce res introducere potest, tincturam nempe perfectam, & fixationem completam. Tinctura igitur est, proprie loquendo, pura rerum substantia,

stantia,& corpus nihil aliud, quam excrementum, quod quidem inde manifeste apparet, quia corpora post tincturæ separationem, inutilia, sine virtute & corruptibilia manent; non aliter quam cadaver aliquod, vita, motu & colore vivido privatum. Non inepte igitur dici potest, tincturam fixationis scopum esse, ut propter assiduitatem in igne permanentem acquirat perpetuationem & conservationem corporibus, quibus applicatur. Modus vero ad hunc gradum fixationis perveniendi, in quo totius operis completio consistit, alius non est, quam ut res leves & fugitivæ prudenter in igne conserventur, ut patienter illum ferre assvescant, donec violentum tandem sustinere possint. Et hujus rei causa boni autores frequentissime discipulis patientiam commendant, quam ex parte Dei, ut festinationem ex parte Diaboli esse, dicunt.

Constituamus insuper hanc regulam infallibilem, quod sine præcedente, calcinatione nihil figi possit & quod hæc fieri debeat conjunctione spiritus fixabilis cum re naturæ suæ integre convenientis, quæ illum in igne calcinationis retinere possit, ut hac ratione calorem pedetentim sustinere assvescat, & aptior fiat ad ferendum ultimi ignis augmentum, qui fixationem infert. Ratio autem, cur tanta discretione procedendum sit, est, quia si nimia promptitudine operationem illam præcipitare vellemus, spiritualitas specialis, quæ tin-

ctura mater est, evolaret, & corpus suum relinqueret, sine ulla virtutis tingentis impressione, ita ut necessario corpori exanimato novus spiritus addendus sit, antequam desideratus color introduci possit; quod quidem est unum ex maximis artis Spagiricæ secretis. Spiritus enim est, qui mediante igne colorat, & non alia res quælibet. Hæc autem tinctura in nostro Mercurio completa & summe exaltata ad supremum gradum perfectionis elevari debet, *ut nempe*, sicut *Hermes* loquitur, *in cœlum ascendat, & postquam omnia mortalia tormenta sustinuit, novam vitam recipiat*, h. e. postquam tenebrosas putrefactionis angustias transiit, & vasis sepulchro sepulta jacuit, elevetur nihilominus ad resurrectionem per omnium accidentium mortiferorum & corrumpentium ablationem, atque hac ratione summum excellentiæ gradum attingat; quod fit separatione terræ ab igne, subtilis a spisso, & postea fixatione partium depuratarum per calorem graduatum.

Veruntamen, ut sine ambagibus & ænigmatibus loquar, hic ascensus ad cælum, (quæ sublimatio & exaltatio partium harum ad perfectionem est,) nunquam fieret, nisi separatio & purificatio illarum præcessisset, & fixationi tanquam extremo & ultimo artis scopo, locum dedisset. Atque inde notandum, eam ob fines duos principales fieri, quorum unus est, ut tinctura perpetuetur, alter, ut sulphur volatile

latile & combustibile Mercurii, quod in centro ejus est, separetur & extrahatur, quod nunquam cederet, nisi longa actione continui ignis fatigaretur: atque hic ignis regularis esse debet, quia periculum metuendum foret, ne violenta præcipitatio in principio purum Mercurii Spiritum, non satis adhuc firmum, ascendere faciat. Id quod *Comes Trevisanus* occulte docuit, cum ait: *In ignis structura scriptorum alii ab aliis dissentiebant, quamvis ad eundem scopum omnes tenderent, ut nempe ad hunc modum fieret, ne fugiens prius avolet, quam ipsum persequens, quocunque modo pararetur ignis*, h. e. ne pars spiritualis per ignis ardorem partem corporalem relinquere cogatur, quæ illum tandem figere debet per actionem sulphuris sui interni, adjuti ab igne exteriore & communi, per gradus requisitos discrete adjuti, in quo principalis industria operationis consistit. Verum, dicet aliquis, si fixatio cum hac subtilitate penetrante permanentiam in igne illi communicat, quomodo possibile est, ut postea iterum possit sublimari? Reddantur illi alæ cereæ, & apparebit, eum quiescere non posse, quin a terra sese elevet ad fugiendum e carcere suo. Observetur tamen, ne nimis excitato volatu ascendere cogatur, & Sol ceram fundat, plumasque comburat, atque ille in mare hac ratione præcipitetur. Imitandus igitur sapiens ille *Dædalus, qui medium inter duo extrema tenebat, quia si volatus erit nimis humilis,*

aquarum humiditas alas aggravabit ; si vero nimis altus fuerit, ignis eas comburet. Fuit hoc impatientissimum & cœcum desiderium superandi *Dædalum*, quo ductus *Icarus* periit, contra parentis præcepta. Et unde perniciosus *Phaëtontis* lapsus contigit, cum *Phœbi* equos gubernare vellet, quam quod magistro suo ad hanc operam sese aptiorem putaret? qui illum admonuerat :

Hac sit iter, manifesta rotæ vestigia cernes
Vtque ferant æquos & cœlum & terra calores,
Nec preme, nec summum molire per æthera currum,
Altius egressus cœlestia signa cremabis
Inferius terras, medio tutissimus ibis.

Sed tamen non sufficit locum hunc *Ovidii* recitasse, quanquam secundum mysticum sensum veterum verissimum. Explicabo potius intentionem illorum sub fabularum istarum cortice occultatum, cum hæ non nisi expertis in hac arte serviant. Sciant igitur curiosi & nunquam metam hanc transgrediantur, quod, quando *Hermes* dixit, *hanc rem in cœlum ascendere, & iterum de cœlo in terram descendere, & virtutem amborum acquirere,* non intellexerit per istum ascensum, materiam ad summum vasis ascendere, ut sublimari debere; sed tantum necessarium esse, aut postquam ad fixationem summam pervenerit, certa quæpiam portio partis spiritualis illi apponatur, (*cujus idcirco*

circo bonam quantitatem ad manus esse debere, Hortulanus dicit,) unde illa dissolvatur, & plane spiritualis fiat, relinquendo terrestrem suam consistentiam, & aëream assumendo, quæ Philosophorum cœlum est: & cum ad hanc simplicitatem pervenerit, per novam coctionem eodem caloris gradu absolvendam, coagulabitur & in terram reducetur, eo usque, donec corpus spiritum eo modo amplexum fuerit, ut unum corpus inseparabile fiant, qua ratione subtilitatem cœlestem, & fixationem terrestrem acquiret.

Ut igitur semper planam naturæ viam observemus, si *Icarus* ille totum sese elevare non posset, h. e. subtiliare, alas illi resarcire oporteret, nova cera novas alas agglutinando, h. e. per dissolutiones reiteratas, quas magistri artis toties repetunt, ut importuni omnes fere videantur, nisi illis, qui hujus repetitionis consequentiam & nervum intelligunt; quod tamen fit, ut res melius uniantur, per minimas partes eas miscendo. Quo tamen nemo alias pervenire posset, non magis quam ad amborum commixtionem, sine hujus & illius purificatione, conservando tamen exacte spiritus, ab impuritatibus terrestribus liberati, volatilitatem, & corpori, ab omnibus fæcibus internis separato, totalem fixationem acquirendo. Per dissolutiones igitur hæc res ad cœlum ascendit, & per congelationes iterum in terram

ram descendit. Quod per antiquos duos versus compendiose expressum fuit:

Si fixum solves, faciesque volare solutum,
Et volucrem figes, faciet te vivere tutum.

Hoc igitur corpus ita glorificatum super alas spiritus sui in cœlum ascendet, & in eadem perfectione, qua ascendit, postea in terram iterum descendet ad separandum bonum a malo, ad conservandum & vivificandum unum, atque ad occidendum & consumendum aliud. Hoc est, quæcunque corpora intrabit, ejiciet inde impuritates, & puram illorum substantiam corriget & conservabit: Reiteratæ enim solutiones & fixationes dederunt illi vires penetrandi corpora, quia alias nunquam intrare potuisset. Oportet igitur ut *Hermaphroditus* juvenis & delicata ejus *Salmacis* fonti immergantur, ut mutuo sese amplectantur, atque ut *Salmacis* amore ardens dicere possit: *Adveniat tempus, ut pulcher hic juvenis nunquam a me separetur, & ego ab illo, atque ut in mutua felicitate amor conjunctionem nostram perpetuet; ita enim duo nostra corpora non habebunt nisi unum cor atque unam faciem.* Postea curare oportet, ut insula *Delus* immobilis appareat, atque *Apollo* & *Diana* in ea commorentur, quos *Latona* ibi peperit. Fabula, quæ nihil aliud insinuare nobis vult, quam ut materia hæc dissoluta congeletur & figetur, in qua Sol & Luna Philosophorum continentur.

Nolo,

Nolo, lectorem sibi imaginari, quod antea etiam significavi, se in hoc libro inventurum ditissimas Peruvianas mineras ad satiandam avaritiam suam, quanquam plurimis in locis monstraverim oculatis hominibus, quod vera via ad tantas divitias incognita mihi non sit, non tamen facile passurum adhuc, ut ad iter tam longinquum suscipiendum adigar, & quidem certis de causis, cum illis conformibus, quæ bonum Trevisanum per spatium duorum annorum distinuerunt, postquam ex libris perfectam magisterii cognitionem adeptus esset. Pretiosam tantum confectionem hic stabilire animus est, aut potius thesaurum inæstimabilem, quem benigna natura ad sustentationem & prolongationem vitæ nostræ nobis largitur, super quam a Deo illa privilegium, & generalem protectionem accepit. Quod certe laudabili desiderio impulsus facio, ut publico bono tota mea industria serviam, postquam favorabile experientiæ astrum ad securum portum me conduxit, quem curiosis viris libenter monstrare vellem. Hunc etenim universalem spiritum aliquoties tam feliciter elaboravi, ut parva quantitate pluris centenis hominibus, diversis morbis fere consumptos, restituerim. Nec dubium est infinita excellentissima ingenia in obscuram hanc & multis mæandris deviam sylvam profundius penetrasse, qui horribilibus monstris eam oppletam videntes, ita confusi facti sunt, ut viam

tam

tam periculosam dimiserint, & opus inceptum deseruerint. Sicut docto & ingenioso penicillo lepidissimus ille *Polyphilus* mystice hoc negotium depinxit, cujus generosus & imperterritus animus, posthabitis Panicis istis terroribus, tantum effecit, ut nigræ hujus sylvæ utrumque latus libere pateat, cujus etiam ductu per omnium obstaculorum remotionem sanus & salvus ad delitiosam & desideratam habitationem carissimæ suæ Poliæ, diviti admodum Vestæ templo inclusæ, pervenit. Certissime quidem asserere possum, viam, quam tenuit, apertam esse omnibus, verum non omnes, sicut ille, filum Ariadnes ad manum habent, ut ex hoc labyrintho extricare se valeant, nec quælibet est *Theseus*, ut *Minotaurum* superare possit. Certum profecto est, naturam, instar amantissimæ matris, omnibus pretiosum & unicum hunc vitæ thesaurum proponere & offerre, atque Deum, universalem nostrum Patrem, pro omnium commodo cavernæ hujus fatalis portam semper amplissime apertam tenere, est enim

- - - facilis descensus Averni,
Sed revocare gradum superasque evadere ad auras
Hoc opus, hic labor est; pauci, quos æquus amavit
Iupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
Diis geniti potuere - - -

Inveniendus igitur primo est splendens ille, infernæ

infernæ *Junoni* consecratus ramus, de quo Virgilius dicit:

Accipe, quæ peragenda prius, latet arbore opaca
Aureus & foliis & lento vimine ramus
Junoni infernæ dictus sacer, hunc tegit omnis
Lucus, & obscuris claudunt convallibus umbræ.
Sed non ante datur telluris operta subire,
Auricomos quam quis decerpserit arbore fœtus.
Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus
Instituit, primo avulso non deficit alter
Aureus, & simili frondescit virga metallo.
Ergo alte vestiga oculis, & rite repertum
Carpe manu, namque ille volens facilisque sequetur,
Si te fata vocant, aliter non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.

Si igitur natura solicita fuit de rebus hisce occultandis, timens, ne indifferenter omnibus prostituantur, aut quod dicitur, porcis ad rosarium aditus concedatur, mirari etiam neminem oportet, antiquos & modernos Sapientes tot figuras ænigmaticas & fabulosa involucra congessisse, ut hanc scientiam quasi sub pallio latentem monstrarent. Sciebant enim probe ceremoniosam naturam nolle se nudam conspiciendam exhibere, aliter enim nunquam sub tot diversis formis & differentibus speciebus sese occultasset, & sub infinitis figuris cavisset, ne venerabilia sua secreta contemptum, rebus divulgatis & communibus

semper

semper accedentem, incurrerent. Quam ob causam eadem solennitate & taciturnitate in hoc tractatu utor, ne idem periculum subeam cum eo, qui mysteria Dearum Eleusiniarum divulgabat, quæ publicare adhuc nulli mortalium permissum est, quia semper illæ secretæ & castæ manere, nec instar meretricularum impudentissimarum ad publicum abusum sese exponere volunt. An vero proposito meo convenienter loquar, facile judicabunt illi, qui in horum secretorum inquisitione longiús jam progressi sunt, experientia enim rerum vera & irreprehensibilis magistra est. Tandem etiam neminem in malam partem interpretaturum spero, quod operationes naturales & spagiricas cum sacris Christianismi mysteriis propter conformitatem, quam aliquo modo cum illis habent, nonnunquam contulerim, illa siquidem hac applicatione nullo modo profanare, sed contra excellentiam eorum venerari & celebrare, imo digito quasi monstrare volui testimonium & curam summi Creatoris, qua corporis & animæ salutem simul stabilire voluit. Quæ ratio doctissimum quendam autorem movit, ut scripserit, *verum Chemiam*, quam *Paracelsus Spagiriam* appellat, *pedetentim lucem Evangelii insecutam fuisse, quia mediante hac & ignis auxilio omnia opera & potentissima naturæ vires in lucem prodierunt*, quas antiquissimi philosophi in sua Theologia insinuare semper voluerunt, videlicet *Brachmani* & *Gymnoso-*

mnosophistæ in Gymnosophia, & maxime *Ægyptii*. Tota enim Paganiſmi Magia, & omnia poëtarum fabuloſa involucra nihil aliud erant, neque alias res ſignificabant, quam eas, quæ hujus libri diſcurſu continentur; quod doctisſimus & ſubtilis *Braceſcus* diligentisſime examinavit, quamvis invidus ille *Toladanus* contraria ſcripſerit, poſtquam in experientia ſecreti alicujus deceptum ſe vidit, quod importunitate ſua ab eo extorſiſſe ſe putabat, credens, ſpumam ferri communis Mercurium Sapientum eſſe, quod ille aſſeveraſſet, hunc extrahi ex re vili, parvi pretii, & quæ in plateas projiciatur, nec obſervans, diſcretos hujus artis magiſtros veram materiam alienis veſtibus induere, omnium metallorum nomine eam appellando, quamvis ſine ulla fraudis ſupicione. Qui enim hanc materiam noverunt, probe ſciunt, illam omnia ſeptem metalla in ſe continere. Et libenter ſane ab eis exquirerem, an credant, *Coſmopolitam* chalybem vulgarem intellexiſſe, quando in ænigmate ſuo ait, *Neptunum ſub aliqua rupe duas occultas mineras, aurum nempe & chalybem illi monſtraſſe.* Vir hic profecto nimis habilis fuit, quam ut tam frivolos haberet conceptus, ſed materiam ſuam hoc nomine nominavit propter conformitatem, quam ſplendore ſuo polito cum chalybe habet. Et certe rem Sapientis nomine indignam commiſiſſet *Braceſcus*, ſi uno quaſi momento ſecretum ſuum propalaſſet, in quo

acquirendo procul dubio duas tertias ætatis consumpsisset. Ut autem ex mea parte ad eruendum sensum sub hisce mithologiis occultatum, aliquid addam, annon clarissime videmus, quod antiquus ille *Demogorgon*, parens omnium Deorum, aut omnium potius membrorum mundi, quem in terræ centro habitare dicunt, viridi & ferruginoso pallio indutum, & omnes species animalium nutrientem, nihil aliud sit, quam spiritus universalis, qui Dei jussu ex ventre Chaos produxit cœlum, elementa & omnia quæ in iis sunt, quæ semper etiam hactenus sustentavit & vivificavit. Sumit enim vere habitaculum in media terra, prout amplissime sub initium hujus libri declaravi, h. e. in centro mundi, ubi tanquam in throno suo residet, & unde tanquam ex corde magni hujus corporis & vitæ universalis sede producit, animat & nutrit omnia. Pallium autem illud viride & ferruginosum, quo vestitur, quid aliud est, quam superficies terræ illum circumdans, quæ nigricans & ferrei coloris est, diversis herbarum & florum coloribus variegata & picta. *Virgilius* in omnibus secretis mysticis perfecte doctus, *huic spiritui aut animæ mundi Jovis nomen imposuit*, *quem pastorem suum Dametam in ecloga sua tertia* invocantem introducit, *quia*, ut dicit, *ejus omnia plena sunt*. Et Deus ille sylvarum *Pan*, a pastoribus cultus pro eodem haberi potest. Præterquam enim, quod hoc vocabulum *Omne* significat, constituitur

etiam

rum sylvarum Dominus, quia Græci pro rectore hujus Chaos illum coluerunt, quod alias Hyle, seu sylva ab iis nuncupatur. *Orpheus* autem in suis hymnis ita illum alloquitur:

Pan le fort, le subtil, l'entier, l'universel,
Tout air, tout eau, tout terre & tout feu immortel,
Qui sieds avec le temps dedans un throne même,
Au regne inferieur, au moyen, au supréme,
Concevant, engendrant, produisant, gardant tout,
Principe en tout, de tout, qui de tout viens a bout.
Germe du feu, de l'air, de la terre & de l'onde,
Grand esprit a vivant tous les membres du monde,
Qui vas du tout en tout les natures changeant,
Pour ame universelle en tous corps te logeant;
Aux quels tu donnes être, & mouvement & vie,
Prouvant par mille effets ta puissance infinie.

Qui rythmi ita verti possunt:

Fortis, subtilis, Pan, integer & generalis,
Et totus ignis, aura, terra sive aqua.
Qui resides solio cum tempore semper eodem,
Medio, supremo & infimo regno tuo.
Concipiens, generans, producens, omnia servans,
Exordium rerumque finis omnium.
Ætheris atque ignis, terræ quoque germen & undæ,
Stringensque cuncta membra mundi spiritus.
Qui penetrans totam naturam, & corpora mutas,
Animaque in illis universalis geris
Officium, quibus & motum vitamque ministras,
Factis tuam tot exerens potentiam.

Saturnus, Cœli & Vesta filius (qui sunt cœlum & terra,) & maritus *Opis* sororis suæ, (quæ est vis

illa juvans & conservatrix omnium,) illum ipsum *Demogorgonem* repræsentat. Infantes enim ejus, quos devorat & postea revomit, nonne corpora sunt, quibus essentiam in uno quoque horum trium generum dedit, quæ in fine suo in illum reducuntur, & nova inde proveniunt, ut per hanc perpetuam vicissitudinem ordo à mundi creatione stabilitus jugiter sustentari & conservari possit? Pingitur alloquin capillo cano & sordido, capite operto, manu falce armata, & pro symbolo serpens circulariter se incurvans & caudam mordens illi additur. Et certe satis est senex, utpote principium omnium; barbam & capillos albos habet, crescentes semper, prout in multis locis apparet, nec magis, nec minus, quam res germinantes. Sordidus & male ex seipso dispositus est, ratione terrestris immunditiæ, quæ illi adhæret, sulphureæ & corrumpentis adustionis plenæ. Caput ejus opertum est, i. e. principium perfectionis ejus sub velamento impuritatis occultatur, quod facit, ut à paucis agnoscatur, ut difficultatem occultæ inquisitionis ejus taceam. Falx ejus mordax ponticitas est, qua omnia penetrat & devorat. Serpens autem caudam suam mordens virtus ejus & natura regenerans est, per quam seipsum reparat & regenerat, quemadmodum de *Phœnice* idem dicitur, quo nomine etiam hac de causa sæpe vocatur; ita ut semper quasi in rotundo aut circulari & indeficiente incremento

mento verſetur, ad modum ſerpentium per terram repens.

Videor jam audire aliquos dicentes, male me intentionem autorum hujus fabuloſæ deſcriptionis *Saturni* aſſequi, per illum namque plumbum alioquin indigitari, quia ſecundum omnium doctorum ſcripta in metallorum generatione *Saturnus* antiquior & primogenitus omnium eſt per naturalem congelationem *Mercurii* in venis montium; qui etiam omnia alia devorat propter cruditatem ſuam, quod Sale abundet. Ex ſale enim mordens & devorans actio provenit, prout ſufficienter in probationibus capellæ vel cineritii apud affinatores metallorum patet, ubi aurum & argentum revomit, quæ deglutire quidem, verum conſumere & deſtruere non poteſt, quia in decoctione ſua firmitatem & fixationem acquiſiverunt ad reſiſtendum debili calori avidi ejus ventriculi aptam. Non equidem ſenſum hunc plane rejicio, quia deſcriptioni ſupra dictæ in quibusdam locis conformis eſt; cum tamen in omnibus non conveniat inſtar illius quem deſcripſi, ſpero, neminem in hoc negotio mendacii me accuſaturum, ſi judicium a viris expertis requiratur.

Maja terram repræſentabat, ita dicta, quaſi avia, ex qua Spiritus ille aut Mercurius univerſalis originem ducit, & quidem ex puro & inviſibili *Jovis* ſemine, qui aër eſt. Vere enim hoc modo ex illa provenit, ut diſcrete admo-

dum doctissimus *Cosmopolita* in pretiosis suis tractatibus explicat.

Mercurius ille in multis locis alatus pingitur, ut monstretur, illum natura sua fugientem & volatilem esse, caput pileo tectum gestat, easdem ob causas, quas antea recensui, cum de *Saturno* locutus fui. Portat caduceum & virgam fatalem serpentibus circumdatam, tam ad significandam virtutem ejus renovatricem, quam illud, quod de serpentibus *Saturni* dixi. Qua virga cœlum & terram aperit & dat mortem & vitam. Virga autem illa potentem naturam repræsentat, per quam, ascendendo ad cœlum & descendendo ad inferos, h. e. in terram, virtutes rerum superiorum & inferiorum acquirit. Eadem hac potentia animas ex orco trahit, dormire facit & oculos æterno somno claudit, prout *Virgilius* de illo scripsit.

A quibusdam etiam Theriaca & venenum appellatur, sive mors & vita, nempe secundum usum & dosin ejus, quia vita in temperamento & justitia consistit, mors autem in excessu, tanquam vitæ contrario. Infinita hujusmodi alia mysteria in hac Theologia Ethnica inveniuntur, quæ alium scopum non habent, quam eum, ad quem collimo, quæ si cuncta adducere vellem, in amplum volumen hic liber excresceret. Nolo autem Lectorem frequentioribus unius & ejusdem rei repetitionibus defatigare, & sufficit, hæc pauca superficialiter dixisse, ut demonstrem, omnes hosce commenta-

mentarios mythologicos cum sensu suo historico allegorico nunquam poëticis fictionibus occasionem & ansam scribendi præbuisse, ac si veritas aliqua in iis lateret, sed maximam eorum partem eo tendere, ut admirabiles operationes artis Spagiricæ insinuent. Quemadmodum inter alias historia de *Jasone* & *Medea*, secundum testimonium *Suidæ*, eleganter per *Chrysogonum Polydorum in præfatione operum Gebri* explicata, ad cujus enodationem suspendam aliquantulum silentium promissum, declarando hoc nomen *Medea*, quod cogitationem, meditationem aut investigationem significat, derivationem suam a vocabulo sumens, quod principium, originem, scaturiginem aut rationem significat. Omnis enim meditatio, cogitatio aut investigatio sine dubio principium aliquod aut rationem pro fundamento habere debet, cui innitatur, & unde prodit, præbendo occasionem, ut fiat talis inquisitio cum ratione. *Medea* hæc docuit *Jasonem*, (inquisitorem nempe aut Philosophum,) duas res, in quibus tota Philosophia consistit, quarum prima est, acquisitio velleris aurei, ars videlicet ad metallicas transmutationes cum rebus mineralibus destinata: secunda est restauratio corporum per morbos debilitatorum, prompte & perfecte ea curans, & postea juventutem aut primum vigorem diminutum, & per frigidum annorum aconitum fere extinctum restituens, medicina hac unice

universali omnes humores & superfluitates corruptas & corrumpentes e corporibus expellens, qui ea ad finem tandem deducunt, & quidem accidentium talium improvisorum excessu sæpe præcipitatum. Miraculosos hos duos effectus aggressus est *Jason* & perfecit, sapientis *Medeæ* consilia religiose observando, post longam tamen & laboriosam navigationem infinitis periculis, ob draconem & tauros edomandos, obnoxiam. Hæc igitur navigatio operosa inquisitio & dubia rerum experientia est, in quibus sæpe per totam vitam multi vagantur, & tamen in immensi hujus maris naturæ portu desiderato appellere nequeunt. Tauri monstrosi, quos domare & jugo alligare oportet, furni sunt, in quibus operatio fit, taurinum caput egregie repræsentantes, atque ignem per os & oculos efflantes, prout fabula dicit. In illis enim necessario spiracula requiruntur, per quæ caloris gradus regulari, & ignis ab extinctione conservari possit, adeo quidem, ut nisi quis in igne regendo expertus fuerit, sæpe accidentia in operis Philosophici labore accidant, operatoris expectationem eludentia. Possum ea de re tanquam expertus loqui. Ex novem enim vasculis, quæ ad indagandum debitum caloris gradum in furno reposueram, octo perierunt, & nihil mihi reliquum fuit, præter illud, cujus medio ante dicta experimenta in morbis curandis obtinui.

Draco

Draco semper vigil *Mercurius universalis* est, quem *Cadmus* interficere, h. e. figere didicit.

Campus Martis, in quo dentes serpentis Martialis seminare oportuit, nihil aliud est, quam vas, in quo milites acutis lanceis armati elevantur. Quod vas hoc loco alembicus vitreus esse non debet, ut *Polydorus* putat & scribit, sed forma cooperculi, ut fabula dicit, effigiatum, angustioris inferius, & capacioris superius, quod ex bona terra bene cocta & non ex ferro aut vitro conflatum esse debet, in cujus fundo elevabitur campus armatus & lanceis hispidus, qui milites repræsentat irritatos, & invicem pugnantes, ut alioquin in campo & plano pugnæ loco fieri solet. Atque hæc sane ingeniosa inventio poëtica est, vulgaribus hominibus rem aliquam admirabilem reddens, tanquam peregrinam & inauditam, quæ tamen adeo communis & familiaris nobis est, ut si eam nominarem, risui & ludibrio me exponerem. Cum vero *Jason* labores suos absolvisset, oportebat eum adhuc draconem vigilem, vellus aureum custodientem, sopire, & ita somnolentum reddere, ut ex rictu ejus nec ignis nec fumus amplius exiret. Quod quidem effecit suffocando illum in aquis stygiis, h. e. iterum dissolvendo & fixando eum cum suo spiritu: & tum *Jasoni* nihil amplius restabat ad possessionem velleris aurei, atque ad parentem *Æsonem*, extrema senectute aggravatum, in juventutem vegetam re-

stituendum, quam unus labor, quem *Medea* etiam in officiorum suorum complementum illum docuit, fermentatio nempe & conjunctio butyri Solaris cum pasta Mercurii hujus præparati, qui ex sese idoneus non est ad duos tam excellentes effectus producendos, cum vere aliud nihil sit, quam terra, in qua purum fermentum, a natura productum, & ad perfectionem debitam promotum, seminari debet. Ultimo hoc labore peracto, vidit se possessorem duplicis hujus thesauri, quem ad locum nativitatis suæ gloriose retulit. cujus beneficio amplissimis divitiis ditatus fuit, & parentem ad vigorem sanitatis reduxit, importunos languores, quos longa ætas secum trahit, removendo.

Veruntamen relinquam nunc *Jasonem* cum *Medea* sua felicitate frui, & hoc tantum addam, per draconem istum vigilem & ignem de gutture evomentem nihil convenientius designari posse, quam Spiritum nostrum aut Mercurium, qui res est totius mundi maxime viva & inflammabilis, qua de causa aqua ardens appellatur, aut aqua vitæ, *quia*, ut *Bracescus* dicit, *continue ardet ante coagulationem suam, non tamen est aqua vitis, sed vitæ, quia omnia vivificat.* Et si ejus externa superficies aspiciatur, quis unquam judicaret, rem fixam & non consumptibilem ei inesse, utpote quæ tam facile accendatur, & ad minimum ignis contactum evanescat? aut latere in centro ejus virtutem vitæ

con-

conservatricem, cum aperte edat signa mortalis veneni, destruentis potius quam vivificantis? Sicut autem Deus Cherubinum ardentem cum gladio flammeo ad custodiam arboris vitæ constituit, ita natura draconem hunc vigilem & ignivomum ad custodiendum introitum horti destinavit, ubi pretiosam arborem, aurea poma ferentem, plantavit, h. e. cognitionem occultissimorum secretorum thesauri sui, quam quidem docti prædecessores nullo modo literis mandare, sed oretenus illis concredere voluerunt, quos illa cognitione dignos judicarunt. Atque hæc vera causa est, cur scientiæ illæ magnæ & admirabiles evanuerint, & lapsu temporis ab ignorantibus pro fabulis & suavibus deliriis habitæ sint. Quod etiam *Esdras*, propter exilia, homicidia, fugas & captivitatem populi Israëlitici eventurum prævidens, & timens, ne talia arcana perirent, quia sine scripturæ aut literarum beneficio hominum memoria diu durare non posset, omnes testantes Sapientes LXX. numero congregavit, qui cum eo omnes hasce res in tot libros retulerunt, ut ipse testatur, cum dicit: (a) *Post quadraginta dies locutus est Dominus & dixit: Res, quas primo scripsisti, publice propone, ut omnes legant, posteriores autem LXX. libros reservabis, ut tradas eos sapientibus populi tui, in his enim est vena intellectus, & sapientiæ fons, & scientiæ flumen. Atque ita feci.*

Pieus

(a) *Libr. 4. cap. 14. §. 45. 46. 47.*

Picus Mirandulanus, tempore suo doctrinæ & scientiarum Phœnix, de istis libris magna cum reverentia loquitur, & hisce vere verbis: *Sunt, ait, LXX. libri Cabalistici, in quibus Esdras clare dixit latere intellectum, & scientiæ scaturiginem, hoc est, inæstimabilem Theologiam de suprema divinitate, fontem sapientiæ, integram intelligentiarum Metaphysicam, flumen scientiæ, hoc est, firmissimam rerum naturalium Philosophiam. Libri isti, cum longo tempore fuissent occultati, jussu Xysti quarti in Latinam linguam transferri cœperunt ad usum religionis, verum hoc bonum opus per mortem ejus interruptum fuit. Sunt tamen inter Hebræos in tanta veneratione, ut nemini illorum ante 40. ætatis annum contingere eos liceat. Atque hoc mirandum est, in hac doctrina Cabalistica capita quædam Christianismi contineri.* Omnia hæc ex scriptis præfati gloriosæ memoriæ *Comitis de Mirandula* excerpta sunt. Cum igitur, ut ego quidem existimo, nihil eorum hactenus oblitus sim, quæ ad interpretationem *tabulæ Hermeticæ*, obscuræ cujusdam Cabalæ Philosophicæ, juxta meum sensum servire visa sunt, conferam me nunc ad portum Oceani hujus imperscrutabilis, & exantlatos fluxus sub Sole favoris clementissimæ Serenitatis Vestræ exiccare conabor, valedicendo eidem & legitimis rationibus probando, *verum Philosophiam esse fortunam, honorem & gloriam totius mundi.*

LIBER

LIBER TERTIUS.

MAgnificus quispiam & ingeniosus Princeps, palatiũ sumptuosum ædificare secum deliberans, mandabit sine dubio Architectis suis, ut postquam pro personis principalioribus conclavia debita designarint, eadem utensilibus & tapetibus adornarint, in loco aliquo commodo & secreto musæum aliquod aut privatum cabinetum constituant, quo thesauros suos & alia pretiosa recondere, & ipse etiam sese abdere interdum possit, non solum honestæ alicujus voluptatis gratia, sed ut ferente occasione depromere inde possit, si quid munifice largiri cuipiam velit, atque hac ratione liberalitas illa a principe ipso, & non ex alterius substituti manibus expectetur. Sæpe enim accidit, ut Magnates indigne a Ministris extorquere, quasi aut mendicare cogantur etiam parvum aliquod donum, & quidem cum metu impudentissimæ denegationis, quo bene meriti viri officia compensare vellent. Princeps ille est ditissima & abundans natura, quæ, meditatione unius Dei, vastum hoc mundi palatium construxit, in cujus medio terræ globum fundavit, tanquam conclave aliquod interius, in quo pretiosam contributionem, quam a reliquis membris & quasi totius universi provinciis exigit, congregare, iterumque ex hoc inexhausto thesauro indesinenter ædificii sui sustenta-

stentationem & omnium creaturarum substantiationem depromere possit, quas ea etiam de causa in terra locavit, ut instar infantium semper matris suæ mammillas quasi in manibus habeant. Omne enim, quod in mundo vivit, in & circa terram hanc habitat, naturali instinctu sentiens, in ea fontem & promum condum vitæ locatum esse. Atque hanc ob causam corpora sensibilia circa illam ad alimenti sui acquisitionem discurrunt & ambulant, quod illa instar benignæ matris insensibilibus primo communicat, beneficio vegetationis omnia substantians & augmentans, ut, quæ per radices terræ inhærent, instar infantis in ventre matris per umbilicum, trahant & recipiant ex illa fere sine ullo labore alimenta sua, hoc est vitam suam, qua destituuntur statim, atque ab ea separantur aut amoventur, quemadmodum quotidie in arboribus eradicatis & ramis detruncatis experimur. Alia autem, quæ terræ non alligantur, ex ea tamen vitæ sustentationem quærunt, quam in illa occultatam esse sciunt, & horum quædam naturæ instinctu, alia autem per observationes & experientias naturæ instinctui junctas. In quo certe omnes hæ creaturæ bene monstrant, in terra ditissimum & perpetuum vitæ thesaurum latere, atque eas libenter quasi in viscera illius reversuras, ut abunde participare de illo possint. Quod quidem ansam præbuit homini, (cui, tanquam excellentiori spiritu prædito, e supernis

supernis concessum est, inquirere & res per rationes invenire,) ut de vitæ prolongatione curiose cogitarit, quam ex terra desumi & hauriri debere judicavit, quæ eam omnibus communicat, utpote nutriens, conservans & sustentans omnia, & quæ in potenti sua fœcunditate nunquam diminuitur vel destituitur, cum centrum ejus semper provisum & vivificante spiritu plenum sit. Nihil igitur tam pretiosum aut carum habens, quam vitæ thesaurum, ob quam solam omnia pericula subit, atque omnibus laboribus, quanquam sæpius inutiliter, sese submittit, reliqua omnia animantia in curiosa hac inquisitione superare voluit, ut sicut a Deo perfectissimus respectu omnium aliarum creaturarum terrestrium factus est, sublimiori & audaciori etiam volatu ad rerum cognitionem sese elevaret. Quamvis enim bruta animalia communem nobiscum modum illum rationis habeant, qui circa animam vitalem est, (quem Græci rationem intus occultatam vocant,) & eorum alia plus aliis de eo participant, artium tamen capacia non sunt, aliquot exceptis, ut *Galenus* dixit, quibus tamen dexteritas illa per naturam potius quam per institutionem accidit, utpote quæ uni homini competat, qui solus aptum sese dicere potest, ut eas discat & alios doceat, oculo nimirum profundo & plus quam humano, res in terra occultatas, & sub aquis, imo etiam superius in cœlis, existentes considerans; propria insuper

super sua industria perfectissimum bonum, Philosophiam nimirum, acquirens, quia cœlum & natura pene ad invidiam usque ex utraque parte suas maximas vires ad ejus perfectionem contulerunt. Et forsan non erit præter rationem, ut hic versus aliquos proponam, in quibus hanc excellentiam depinxi, & tanquam in dialogo *Timonem & Philonem, de hominis felicitate & infelicitate disputantes*, introduxi:

PHILON.

Suprimant du proces les deux intres meilleurs,
Tu produits l'inventaire & l'extrait des malheurs,
Et pour rendre la cause obscure & mipartie
Tu nous dépeints tout l'homme en sa moindre partie;
Partie, ou luit pourtant parmi l'humanité
Je ne sçay quoy de grand qui sent sa deité.
Mais considere l'homme en la forme plus digne,
Forme, dont estincelle une lumiere insigne
Qui tout autre animal force a le redouter
A recevoir ses loix & se laisser dompter.
Voi ce noble intellect, ce vif esprit, qui vole
Du Levant au Couchant, de l'un a l'autre pole
En l'instant d'un moment, sur l'aile du penser,
Que Mercure ou Iris ne sçauroient devancer.
Aigle, qui d'un œil fixe en leur splendeur regarde
Le Soleil jaunissant & la Lune blaffarde,
Qui a connu leur trace, & distingué les tours,
Que l'un & l'autre acheve en parfaisant son cours,
Qui clarifiant l'ombre & les nocturnes voiles
A veu des plus hauts Cieux les dernieres etoiles,

Et

nous a ramené les occultes raisons
urquoy leurs cours divers vont changeants les saisons,
mment ces yeux divins pleurent leurs influences,
ur animer les corps de celestes essences;
mment du plus subtil de ces perleuses pleurs
fait l'émail exquis des printannieres fleurs,
moins subtil la fueille & du plus gros l'ecorce,
ui malgré les saisons maintient l'arbre en sa force:
mment l'esprit du monde unique & general
roduit un triple genre, & en tous est égal:
omme en sa pureté les gemmes il procrée
t l'or dans les boiaux de la terre il concrée:
uis comment cet esprit de tous corps est extrait,
our l'opposer aux coups de l'homicide trait.
et intellect fut l'œil, dont on dit, que Lincéa
voit des grands rochers l'epaisseur transpercée,
eu Pluton en son trône & connu ce que font
Les Nymphes sous l'azur de l'Ocean profond, &c.

Quorum versiculorum hic sensus est:

PHILON.

Quæ sit præ reliquis hominis præstantia brutis,
Cum placide inter nos disquirimus, optime Timon,
Tu titulos ejus meliores supprimis, atque
Ærumnas tantum & gravia infortunia narras.
Utque tuam causam phaleratis vocibus ornes
Depingis totum nobis ex parte minori
Corporea, præsigni equidem multisque decora
Dotibus, unde etiam lucet, quod nemo negabit,
Nescio quid magni, & diva spectabile forma.
Sed tamen in partem potius convertere mentem

Debebas, genus humanum qua dignius esse
Credimus, & cunctis rebus præstare creatis,
Nempe animam, formam internam, rationis acutæ
Participem, & solam divina luce micantem:
Cujus & auspiciis animantia cætera nutus
Observare suos, & jussa capessere cogit.
Respice Præterea, nobis quem conferat usum
Intellectus, in ambiguis fidissima rebus
Spes & dux, agilis qui tanquam spiritus alis
Mentis in occiduas, altique Atlantis ad oras
Ex Oriente volat momento temporis uno,
Aque polo Australi ad tardantia plaustra Bootæ,
Vt neque Mercurius, nec picta coloribra Iris
Disparibus, possint veloci hunc vincere cursu.
Et quamvis oculis aquilinis tanta facultas
Insita sit, fixo ut Solem Lunamque coruscam
Obtutu tolerent, sed quis vestigia Solis
Observavit adhuc, aut causas reddere motus
Constantis potuit, cunctis quem conficit annis?
Quis sciat in cœlis auroræ tempore quænam
Inter lucentes dispareat ultima stellas?
Quis queat occultas rationes reddere, eædem
Cur per diversos commutent tempora cursus?
Quove modo & per quos destillent astra canales
Influxus viresque suas in viscera terræ,
Corpus ut exanimum cœlesti rore beatum
Efficiant, animentque suis virtutibus orbem?
Insuper ex hujus subtili parte liquoris
Floribus in vernis qui fiat tanta colorum
Mixtio, pictori nequaquam imitabilis ulli,
Qui magis impura folium progerminet, & qui

Spissior ex grossa nascatur in arbore cortex
Illæsam servans hyberno a frigore stirpem?
Spiritus hic itidem cur unicus & generalis
Producat triplex genus, & sit in omnibus idem?
Quomodo splendentes miro fulgore lapillos
Progeneret simplex, mixtusque in montibus aurum?
Qua ratione etiam de cunctis eliciatur
Corporibus, morbo ut fiat medicamen in omni?
Scilicet his dubiis solvendis sufficit unus
Intellectus, is est oculus, quo dicitur olim
Trajecisse petras & saxa ingentia Lynceus,
Imo in visceribus terræ Plutonia regna
Ludentesque imo spectasse sub æquore Nymphas.

Et hac de causa Deus hominem creavit facie ad superna & cœlum versus elevata, non inclinata aut ad terram flexa, sicut in cæteris animalibus ratione destitutis, quæ nullius rei quam esculentorum curam habent; ita quidem ut perfectioni ejus nihil desit, quam vita longior, infortuniis & morbis minus obnoxia, cujus beneficio integram rerum cognitionem adipisci, & pretiosam illam intellectus gemmam, qua solus speciali quodam privilegio fuit decoratus, valori & honori suo restituere possit. Hæc imaginatio *Paracelso* ansam contra naturam murmurandi atque inconsiderationis accusandi præbuit, quod animalibus quibusdam irrationalibus & inutilibus sanam & longissimam vitam concesserit, cum gratia illa parum iis prosit, & fere indifferens sit; homini autem bonum hoc tantopere desideratum ne-

cessarium denegaverit, cujus tamen solo medio in scientiis perfectionem facile adipisci potuisset. Homo igitur generosa quadam resolutione inductus arte sibi comparare proposuit, quod natura illi denegarat, ita ut intellectus nervos intendens per Philosophiæ scalam ad summum secretorum naturalium gradum ascendere enixus sit, nempe ad restaurationem & prolongationem vitæ, ultra communem terminum suæ speciei. In eo enim omnium Philosophorum finis & Principalis scopus consistit, utpote qui nihil sublimius in spatiosa sylva investigationis arcanorum mundi sese inventuros unquam crediderunt, cujus sine dubio *hæc Philosophia Fortuna, Honor & Gloria est.* In toto enim hoc universo tres tantum species Bonorum temporalium observantur, ea nempe, quæ fortunæ tribuuntur, ut sunt divitiæ, sublimis status & dignitates; aut quæ corporis felicitatem attinent, ut juventus, sanitas, fortitudo & bona dispositio; aut quæ ad spiritum pertinent, nempe scientiæ. Quod duas primas species concernit, incertæ illæ sunt, & transitoriæ, atque ex seipsis magis necessariam hominis partem, vitam scilicet, conservare aut tueri non possunt, quia una æque atque altera mutationi & interitui subjiciuntur; tertia vero species medio magis solido acquisita, non solum duas præcedentes largiri, sed etiam contra accidentia fortunæ & corruptionis mortalis eas munire, atque ad certitudinem &

con-

conſervationem illis deficientem evehere, poteſt. Intelligo tamen eam ſcientiam, quæ ipſo effectu talis eſt, prout videlicet perfecta cognitio operum & ſecretorum naturæ eſt, ad quam acquirendam reliquæ omnes non ſunt niſi ſimplices gradus. Atque ea de cauſa viri excellentes in parvo admodum pretio primam ſpeciem horum bonorum habuerunt, quam etiam neglexerunt, imo plane rejecerunt, ut liberius acquiſitioni & poſſeſſioni reliquarum duarum vacare poſſent. Maxime autem & ardentiſſime tertiæ ſpeciei incubuerunt, utpote a qua ſecura & libera duarum priorum poſſeſſio dependet. Sicut enim apud omnes creaturas vita nihil exquiſitius eſt aut deſiderabilius, utpote ſenſum, vegetationem & ſubſiſtentiam omnibus communicans, ita etiam nihil eſt pretioſius aut majoris æſtimationis, quam illud, quod eam ultra communem terminum ſuſtentare & conſervare poteſt. Evidentiſſimum autem eſt, vitam eſſe rem cœleſtem & divinam, quod igitur eam conſervare poteſt, ejusdem naturæ eſſe debet, quia omnes res ex eo ſuſtentantur, unde originem ſumunt. Dicam vero adhuc amplius, hunc conſervatorem ipſam vitam eſſe. Extenſio enim & prolongatio ejus per additionem & reſtaurationem fit, ut vacuum & inanitio vitetur. Alimenta, quibus quotidie utimur, eo ſerviunt, quia de vita univerſi participant, & in ſe particulam quandam continent, quam

naturæ coquus attrahit & exprimit ad conjunctionem cum nostra substantia. Quia autem paucum illud quod habent, corruptionibus excrementitiis nimis immersum est, neque etiam perfecte fixum, ut destructionis violentiæ resistere possit, quæ ignis ille est contra naturam, semper agens, ut vitam cum humido radicali exterminet, & ex suo domicilio ejiciat, impossibile esset homini, per sola alimenta istam vitæ longitudinem acquirere. Difficile ergo est, ex purioribus corporibus extrahere eam, & ultra adhuc separare ab omni re, quæ inquinare & a productione effectus hujus impedire eam posset, ad quem a cœlo destinata est, nempe ad accretionem & vivificationem nostram; sed potius maxime necesse est, mundi corpus intrare, & generalem vitam inde accipere, quæ nunquam deficit, sed multiplicationem & dilatationem suam in seipsa continet, ut eam nobis communicare possit, quantum naturalis nostræ compositionis vires ferre queunt: nec enim æstimandum est, nos hinc immortales fieri posse, quia omne, quod corpoream massam in se habet, hoc est, excrementum & corruptionem, perpetuari non potest, atque oporteret prius omnem corpoream molem deponere, quam eo perveniremus, quia post hanc corporis depositionem vita nostra libera existens vere refert vitam universalem magni mundi, cum qua iterum sese uniens in illa lætatur, tanquam in sua propria

propria natura, sequendo regulam, quæ vult, ut omne revertatur ad locum, unde exivit. Id quod *Theophrastus* intelligere voluit *per animam eorum, qui vivent in quinto*, hoc est, qui soluti erunt a massa ex quatuor elementis composita, & in quinto vivent, quatuor illis perfectiore; quod quidem secretum est, solo intellectui, Philosophiæ essentiali odore imbuto, comprehensibile. Hoc enim quintum elementum non est res super terram, aquam, aërem vel ignem situata, utpote quæ in separatione Chaos multo sublimius ascendit quam unum illorum, ratione maximæ suæ levitatis. Verum proprie de se Spiritus est simplicissimus, qui indifferenter omnibus miscetur, qui nutrit & animat omnia, & omnibus rebus essentiam largitur, in suo nihilominus centro, (hoc est, in sua propria natura,) liber ab omni corporalitate existens, quæ verum domicilium mortis est. Quia enim ex corporibus consistentia ei advenit, necessario sequitur, ante hanc consistentiam & specificationem illum simplicissimum & pure spiritualem esse, elementorum unitorum confusione nequaquam inquinatum aut commixtum, & consequenter corruptioni & mortificationi non obnoxium: quæ tamen corporum mortificatio non est annihilatio hujus spiritus, sed tantum separatio & divisio ab illo; quia dum sentit corrumpens sulphur, in omnia corpora tyrannidem exercens, sibi jam dominari atque integre corpus

occupare, cogitur loco cedere, & eo regredi, unde prodiit, nempe ad centrum magnæ hujus sphæræ vitalis, massam corpoream & excrementitiam terræ relinquens, unde desumpta fuit. Sed quia magnus hic mundus & vita ejus in forma sphærica consistunt, quæ indeficiens rotunditas est, antiqui sapientes argumentum inde petierunt, ut æternum illum crederent, & quod omnes lineæ & globi peripheria ex centro sicut ex fonte suo procederent. Ambo enim ex punctis individuis constant, quorum tam longa quam rotunda extensio ne imaginatione quidem sine centro esse posset, & suadet ratio, ut statuamus, centrum vitæ universalis sedem esse maximi thesauri totius mundi, cujus verum punctum centrale terra est. Sic & centrum vitæ in ipsa terra est, quæ a familiæ suæ universali matre in eum finem electa est, ut sit instar cellæ cujusdam promptuariæ divitiarum suarum, quas ibi colligit & condit, ut suo tempore & in sustentationem admirabilis sui ædificii & suorum infantium & domesticorum convertere possit. Qui igitur cœlum tam propitium habet, ut semel ditissimum & sumptuosum hoc cabinetum, ad quod sola Philosophia clavem custodit, intrare queat, nonne causam habebit dicendi, quod ad cœlum ascenderit, sicut duo illi electi Dei, *Henoch & Elias*, & ad infernum usque descenderit, sicut tres illi heroës. *Orpheus, Hercules & Theseus?* Hi autem singulares

favores

favores non nisi Deorum filiis concessi sunt, qui sub paterna benedictione intromissionem obtinere potuerunt ex benigna manu reginæ artium, *Philosophia profundioris*, quæ jure *Fortuna, Honor* & *Gloria mundi* appellari potest, quia hominem etiam super ipsum hominem distantia tam longa exaltat, quam ea est, quæ cœlum a terra separat, suosque cultores supra omnium aliorum conditionem & excellentiam adeo ditat, honorat & decorat, quantum *Crœsus* opulentia sua *Irum Homericum* superabat, sive quantum meridies clarissima aliqua æstatis die luminoso suo splendore frigidam & obscurissimam noctem hybernam excedit; aut quanto putum & purissimum aurum in splendore, valore & viribus fæculentam & rubiginosam ferri grossitiem vincit. O magna, o venerabilis,& divina Philosophia! quam felix est homo, quem dignum judicas, ut votum ejus suscipias, preces exaudias, animamque ejus perfecta occultissimarum rerum cognitione bees, ad qualem humana apprehensio pervenire nunquam posset, nisi alis tuis indefessis eo deferretur. Veruntamen anne vel imaginari saltem sibi possit quispiam æquivalens aliquod bonum præ duobus illis in hominis felicitatem acquirendum, quæ tu cultoribus tuis largiris, dum videlicet eos sanitatis & longæ vitæ, atque inexhausto insuper divitiarum thesauro beatos reddis, quem nemo auferre aut diminuere etiam valet, si pos-

ſeſſorem miraculoſæ hujus medicinæ ſemel quempiam feceris. De qua medicina apud *antiquum aurem* ipſa natura in querela ſua ita introducitur:

Qui gueris toute maladie,
Et qui l'a jamais ne mendie,
Qui en a une once & un ſeul grain,
Toujours eſt riche & toujours ſain:
En fin ſe meurt la creature
De Dieu contente & de Nature.

Qui rhythmi Latine ita reddi poſſunt:

Tanti roboris eſt medicinæ operatio noſtræ,
Vt posſit morbum quemque abolere gravem.
Et quicunque bono titulo hanc poſſederit artem,
Haut cauſas habet, ut victum aliunde petat,
Namque ſuis manibus drachmas qui fecerit octo,
Sanus is & dives poſtea ſemper erit.
Et cum pallida mors veniet, contentus obibit
Naturæ donis & bonitate Dei.

Sine qua benedictione vita nullatenus vita eſt, ſed tædioſus languor & tumultuoſo mari ſimilis, cujus fluctus venti contrarii inflantes ſuis fluctibus excipiunt, & tandem miſeram noſtram naviculam ad profundum & tenebroſum mortis abyſſum detrudunt. Habemus enim ab infantia noſtra inteſtinos inimicos morborum graviſſimorum cumulos, quorum numerus fere infinitus eſt, extra autem maledictum incommoditatum aut afflictionum exercitum, quarum dura paupertas dux eſt. Duobus autem hiſce adverſariis contra vitam noſtram

nostram conspirantibus, & secreta consilia quasi conferentibus, quænam defensio aut propugnaculum sufficere quæso possit, ut eam ab illorum insultibus tutam reddat? Nocent, insuper nobis injuriæ & mutationes, quibus fortuna subjacet, sed istis quoque spiritus humanus, augustæ Sapientiæ inexpugnabilibus & invictis armis instructus, viriliter sese opponit. Quibus igitur laudibus satis efferri possit ille, qui primus Philosophiæ principia & præcepta nobis tradidit? imo qua ratione tam profunde spiritus humanus etiam ad mundi & naturæ cor & intima penetralia talium miraculorum inquisitione penetrare potuit? *Ille certe, qui primus astra tam benevola & prona habuit, ut per experientiam ratione suffultam alta hac & occulta mysteria animo comprehendere potuerit, Dei certe alicujus filius, aut Deus aliquis ipse fuit.*

Hac occasione venerabilis antiquitas persuadere nobis voluit, *Apollinem inventorem fuisse Medicinæ, eamque filio suo Æsculapio in hæreditatem reliquisse,* tanquam rem pretiosissimam, & stricte vetuisse, ne secreta illa divulgaret sub pœna castigationis, quæ impiis & sacrilegis infligatur. Tandem quicunque gustaverit, amplexus fuerit, & possederit divinum istum Philosophiæ fructum, virum referet in summitate montis inaccessibilis constitutum, & inde reliquos mortales inanibus & puerilibus rebus occupatos aspectantem; qui ea de causa nobilis sui intellectus oculos facile satiare, & radios

dios eorum super conceptiones etiam clarissimorum vulgarium virorum extendere & elevare poterit. Scientiæ enim populares & communes ventrem saginant, & simpliciter circa corticem insipidum & vanam rerum superficiem repunt. *Vera* autem *Philosophia*, quæ & proprie ipsa *Indorum Gymnosophia*, *Ægyptiorum Magia*, & *Judæorum Cabala* est, ad intimas usque medullas penetrat, nec ullam particulam compositionis corporum relinquit, quam perfecte non examinet. Atque si eam in æquilibrium cum scholastica illa vulgari apponere velimus, tantam in pondere inæqualitatem inveniemus, quanta est inter pumicem & plumbum. Ambulat enim hæc per dubiorum perpetuorum tenebras, solo conjecturarum baculo palpans. Id quod etiam magis expertos in errorem duxit, dum veram & planam naturæ viam reliquerunt, & pulcherrimæ nostræ Ariadnes filo destituti in avia hujus labyrinthi prolapsi sunt. Eadem etiam de causa Medicina ordinaria contra morbos fixos & rebelles parum virium habet, si cum Spagiria conferatur, non quod doctissimis careat Professoribus, sed quia fundamentum ejus in centro rerum non subsistit, sed tantum in sola superficie. Exempli gratia, quando decoctæ radicum siccarum avenæ ad Calculi dolores leniendos utuntur, (in quibus alioquin, ut ex doctissimi *Penæ* praxi & applicatione observavi, admodum conferunt,) atque ex hoc simplici illud

non

non extrahunt, quod tanti effectus causa est, quod tamen artificiose extractum & præparatum, in parva quantitate sumptum, perfecte Calculum curare posset, cum decoctum tantum doloris lenitivum sit, nec observant illud vulgare axioma, *contrarium suo contrario curari debere.*

Calculus enim in corpore mediante Sale, unico coagulatore, induratus, beneficio etiam Salis individuorum, a cœli influentia propriam & particularem efficaciam contra hoc malum habentium, curari debet. Et tunc vere contrarium suo contrario curatur, quamvis Sal applicetur contra morbum aliquem a Sale provenientem, quæ duo quidem similia sunt, effectus autem differentes habent: Oleum enim Salis omnes lapides dissolvit, quos Sal induravit, sicut una vis contrariam vim cedere cogit. Eadem plane ratione ac videmus eos experiri, qui manum vel digitum combusserunt; membrum enim læsum igni proxime adhibent, quantum ferre possunt, & quidem tamdiu donec a majori calore minor dissipetur, & dolor cesset. Tandem etiam quod Physici vulgares contra hæc remedia, nova ab ipsis appellata, afferunt, est, quod controsiva illa dicant, atque ideo pernitiosissima pro interno usu. Quod quidem illis concederem facile, si sola & in quantitate excessiva sumerentur. Illi autem, qui uti & recte ea applicare norunt, tales discursus non sine ratione rident.

Autoris

Autoris Carmen in libri conclusionem.

Qui cherche donc l'honneur, la gloire, & l'heur du monde,
Soit Philosophe artiste, & il en jouira;
Car la Philosophie en fin le conduira
Au sommet des tresors, dont la nature abonde,
De luy la nuit d'erreur, pu vainement se fonde
L'aveugle opinion elle dissipera,
Et de la verité le jour e claircira,
La tirant hors du sein de la machine ronde.
Quand Jason eut conquis ce bien tant desiré
Qui par l'experiment le rendit asseuré
De vivre riche & sain plus qu'il n'eut osé croire:
Dedaignant la misere, & bravant le trepas,
Egal aux dimidieux ne possedoit-il pas
Du monde universel l'heur, l'honneur & la gloire.

Hos gallicos Autoris rhythmos παραφραστικῶς imitari placuit, cum exhortatione ad studium Chemiæ alacriter subeundum.

Illi igitur quicunque volunt, ut gloria mundi,
Atque honor & semper constans fortuna perennes
Sint comites, crebro libros & scripta Sophorum
Excutiant, post hæc vestigia fida laborum
Sectentur, secumque habitet Sapientia currens.
Haud dubii hinc magnos quin possint carpere fructus.
Cultores ea namque suos deducet ad arcem,
Dives ubi largis, in duros provida casus,
Congessit manibus mater natura repostos

Thesauros,

Thesauros, ubi divitias stipavit opimas,
Vt sibi devotis possit succurrere gnatis.
Quod si etiam gliscat vel noxius ingruat error,
Qualem sæpe parit dementis opinio vulgi,
Præferet illa facem, tenebrasque fugabit obortas,
Monstrabit fraudes, & fucum lumine veri.
Deteget, ut cæca dubitans revocetur ab umbra.
Sed tamen his majus, longe & pretiosius auro
Discipulis donum Sophiæ labor aureus offert,
Vt mens nempe diu mortali in corpore sano
Sana habitare queat, nullis obnoxia morbis,
Donec pallida mors, & inevitabilis instet
Terminus, humana qui non superatur ab arte.
Dispice nunc lector, fictis quid ponderis insit
Momorum causis, salse dum Chemica rident
Principia, & sophice deducta exordia rerum;
Vnde tamen manant bona, queis nil majus in orbe est,
Firma valetudo, constans fortuna, perennis
Gloria, divitiæ bene partæ, tarda senectus,
Atque his conveniens æquæ prudentia mentis.
His certe impulsus stimulis illustris Iason
Semideum soboles, nec forti heroibus ausu
Inferior, retulit ditissima præmia. Namque
Æquore Bebrycio, maris Euxinique procellis
Caucasiisque vadis, & lati Phasidos undis
Fortiter emensis, contemptis denique monstris
Ignivomis felix ad Colchidis appulit urbes,
Vxorisque opera Medeæ vellere rapto
Auricomo, tandem per summa pericula sanus
Ad patrias rediit magno cum fœnore sedes,

Felix

Felix divitiis & firmo flore juventa.
Vos etiam divinæ animæ, quas vivida virtus
Cogit ad obsequium Sophiæ, quas gloria mundi
Et constans fortuna suas invitat ad aras;
Vos inquam, virtute sua generosus Iason
Excitet, ut duros discatis ferre labores,
Optatam donec detur contingere metam.
Difficile & primo quamvis appareat esse
Vestrum opus, inceptos tantum ne sistite gressus.
Ite alacres, etenim fœcundi copia cornu
Mitis Amalthea vestros comitabitur ausus,
Cœlitus ut vobis concesso jure queatis
Suaviter in Domino & rebus gaudere secundis.

FINIS.

